MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80084-29

AUTHOR:

HERWIG, GEORG L. CH.

TITLE:

DE PARTICULARUM CON-
JUNCTIONE QUAE...

PLACE:

MARPUGI

DATE:

1875

Master Negative #

91-80084-29

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

887.59
Z6 Herwig, Georg Ludwig Christian,

De particularum conjunctione quae est μὴ οὐ; dissertatio inauguralis quam... defendet Georgius Ludovicus Christianus Herwig... Marburgi, typis Elwerti, 1875.

46 p. 28 cm.

Thesis, Marburg.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 7-1-93 INITIALS M.G.Y.

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE PARTICULARUM CONJUNCTIONE

QUAE EST

MH OY.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM MARBURGENSIUM ORDINIS

AUCTORITATE ET CONSENSU

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XX. MENSIS FEBRUARII

PUBLICE DEFENDET

GEORGIUS LUDOVICUS CHRISTIANUS HERWIG,

OLDENDORFENSIS.

MARBURGI.

TYPIS ELWERTI TYPOGRAPHI ACADEMICI.

MDCCCLXXV.

Nostro saeculo ab iis, qui ad antiquitatis studia se contulerunt, eam potissimum disciplinam strenua atque jucunda diligentia pervestigari, quam omnium artium, quae ad humanitatem proprie pertinere dicuntur, fundamentum atque originem esse constat — grammaticam dico — nemo certe ignorare videtur. Quamquam enim superioris quoque aetatis homines docti haud ignobilem industriam in hac disciplina collocaverunt et admirabili acumine permulta, quae cujusque linguae propria sunt, observaverunt, tamen iis plerumque usque ad fontes atque principia rerum penetrare non licuit. Nostris autem temporibus qui in arte grammatica operam ponunt, eum summum studiorum illorum finem sibi proposuerunt, ut non solum usum sermonis quem vocant perspiciant, quaeque propria habet congerant, sed etiam omnium, quae in conspectum cadunt, rerum aptas rationes afferant omniaque ad linguae indolem atque naturam revocent. Quod ad assequendum cum ea ratio artis grammaticae tractandae, quam comparativam vocamus, plurimum conferat, tamen non tam rebus syntacticis, ut ita dicam, explanandis quam verborum formis et declinationibus apte illustrandis lucem afferre mihi videtur. Nam in ipsis verbis enuntiatisque conjungendis imprimis, quae cujusque linguae propria sunt, cernuntur et in his rebus maxime inter se discedunt, quare in talibus quaestionibus tractandis semper eam viam ac regulam tenendam puto, ut omnia ex ipsius linguae indole et proprietate repetantur neque eo, quod aliarum linguarum magis quam par est ratio habeatur, sobrium judicium perturbetur. Quantopere

autem accuratiori imprimis grammaticae studio officiat, si quis non hanc certam eandemque legem sequitur sed praejudicatis opinionibus obstrictus ad has res tractandas accedit, id cum toto illo capite, quo de particulis graecis agitur, appareat, tum si oculos ad id convertimus, quod diligentius examinandum mihi proposui, manifestum fiet.

Quomodo enim vehementissima illa dissensio hominum doctorum, quae tanta est, ut vix duo in iis, quae de hac quaestione protulerunt, inter se congruant, aliter explicari potest, quam eo, quod plurimi eorum vel suae linguae proprietate abducti omnia ex ea judicaverunt et ad eam retulerunt vel alia opinionum commenta rebus subjecerunt? Quadecausa ut ad finemquodammodo probabilem perveniamus, id summopere agendum est, ut probum firmumque fundamentum capiamus, quo tota quaestio nitatur atque sustineatur.

Priusquam autem ad ipsam rem disceptandam accedamus, haud inutile videtur esse eas, quas ad proprium illum graeci sermonis usum explicandum sententias viri docti proposuerunt, quam brevissime potest fieri examinare: sic enim et optime in totam quaestionem transducimur, cum uno conspectu, quae summi momenti in ea sunt, perlustremus, nec si singula tractabimus, ea semper repetere atque refellere opus erit, quae ex fundamentis omnino infirmis ac perversis progressa sunt.

Quod igitur ad antiquiores grammaticos et interpretes attinet, omnino nihil ad quaestionem nostram accuratius explorandam attulerunt, cum vel prorsus eam non respicerent vel in levissimis explicationibus acquiescerent, sicut scholiasta ad Euripidis Phoeniss. v. 1176, qui nihil annotat nisi: *τὸ γὰρ οὐ πλεονάζει*; aliique multi eodem fere modo rem tractant. Quamobrem Hermannum nostrum optimo jure diligentiorum studiorum, quae novissimis temporibus in hac re posita sunt, auctorem ac principem nominamus, qui primus de ea fusius disputavit praesertim in commentatione, quam composuit de ellipsi et pleonasmo (in Opusculis I, pag. 229—244) atque in annotationibus ad

Vigeri librum de idiotismis graecis (pag. 797—801). Sed in hac quaestione tractanda virum illustrissimum sibi non constitisse nemo jam negat. Cum enim statim in initio disputationis suae professus sit, illud esse tenendum, particulas μή et οὐ semper propriam suam vim servare neque unquam amittere, paullo post omnino contra hoc praeceptum facit maxime iis, quae de discrimine particularum μὴ οὐ et μή profert. Nam sine ullo jure in annotatione ad Vigeri locum eam statuit legem, μὴ οὐ ubi ponatur semper dubitationis notionem exprimere, μή autem rem certo negare: qua definitione id, quod in priori disputatione rectissime monuerat, particulas μὴ οὐ cum infinitivo junctas nonnunquam certam affirmationem exprimere, prorsus tollit. Quamquam negari non potest in commentatione de ellipsi et pleonasmo eum sententiam ambiguam nec satis sibi consentaneam protulisse (cum dicat μὴ οὐ cum modis *finitis* conjunctum ad rem cum dubitatione negandam — μή ad rem cum dubitatione affirmandam — cum infinitivo autem et participio conjunctum ad rem certo affirmandam — μή ad rem certo negandam — usurpari atque causam hujus discriminis in ipsa modorum natura positam esse), tamen multo magis constantia illa vituperanda videtur, qua in annotatione ad Vigerum usus est, ubi μὴ οὐ *semper* cum dubitatione, μή semper certo rem negare contendit; quod si statuitur, particulae μὴ οὐ non propriam suam vim tenent, sed simplicis negationis notionem exprimunt. Cur enim Graeci, si rem aliquam cum dubitatione negare volebant, duplici negatione usi sint, equidem non intelligo neque ea, quae in priori disputatione de modorum discrimine Hermannus protulit, hanc explicationem sustentare poterunt, quippe quae omnino justa ratione careant. Cum igitur illa, quae prius statuerat, sibi non constare intellexisset, ad talem inconstantiam evitandam in errorem multo graviorem incidit et, quod rectissime antea proposuerat, has particulas nonnunquam se invicem tollere (Opuscula I, pag. 233), temere rejecit. Praeterea distinctio illa, quam vir doctissimus inter μή et μὴ οὐ factam esse

contendit, sententiae singulorum locorum repugnat, id quod postea in ipsa re illustranda luculenter apparebit. Neque Hermannum ipsum ea, quam statuerat, doctrina contentum fuisse verba, quae statim in initio adnotationis ad Vigeri locum profert, satis docent. »Difficultas, quam dixi, in eo est, quod cum negatio opposita sit affirmationi, tamen saepe perinde est, utrum ponatur μὴ an omittatur, quodque, cum contraria sint μὴ et μὴ οὐ, tamen haud paucis in locis dubium est, utrum μὴ an μὴ οὐ dicendum fuerit.«

Prorsus aliam viam Buttmannus ingressus est, qui in undecimo excursu ad Demosthenis orationem in Midiam paucis verbis sententiam suam de hac re protulit. Sed optimo jure omnes homines docti in ea rejicienda ita congruunt, ut vix unus eam defenderit, nedum amplexus sit. Dicit enim Buttmannus l. l. veram atque genuinam particulae οὐ notionem non esse negativam, sed restringentem (ut hoc verbo utar), ita ut significet »aliquantum«, id quod eo firmari putat, quod in aliis linguis ratio particularum negativarum similis esse videatur.

Sed egregie in eo errat vir doctissimus, quod ejusmodi similitudines linguarum affert, quippe quae omnino aliter comparatae sint. Nam in graeca lingua οὐ per se negare potest, id quod non cadit in latinum »ec« (quod Buttmannus affert) vel »ullus« neque in nostrum »iht«, quod plerumque »irgendwie« significat aliaque similia. Cum igitur in illis linguis hae particulae propriam suam vim teneant, in graeca plane eam mutavissent, id quod non minus mirum videtur esse quam illud, quod apud antiquissimos Graecorum scriptores nulla vestigia hujus propriae notionis exstant, immo vero recentioribus demum temporibus hic usus tribuendus est.

Sed quid fusius hanc doctrinam refutare studeo, quae sibi ipsi repugnet, quoniam frequentissima exempla nobis occurrunt, in quibus particularum μὴ et οὐ conjunctio affirmationem efficit, ita ut invicem sese tollant?

Jam de Hartungi quoque sententia pauca exponamus,

quam in libri de particulis graecis volumine II, pag. 167 sq. breviter demonstravit. Ex tota ejus explicatione clare elucet, eum acriter Hermanni praecepta impugnare velle, id quod praesertim in ea re cernitur, quod ubique particulas μὴ et οὐ si conjungantur, invicem se tollere fortiter premit. Ac recte quidem illud quoque statuere videtur, in iis locutionibus, quae pro nostri sermonis usu negationem abundantem praebeant, sicut εὐλαβεῖσθαι μὴ ποιεῖν, ἀπέχειν aliaque non vere superfluam esse vocem μὴ, sed ex sententiae ratione bene explicari posse, cum his locis enuntiata singula non tam arte cohaereant sed laxius conjuncta sint. Quamobrem maximopere eum quaestioni nostrae profuisse nemo certe negabit, sed neque illud negare possumus, cum in universum rectam viam ac rationem ingressus sit, eum ad singula illustranda et ad ipsas difficultates explicationis expediendas non multum contulisse. Nam in eo maximum hujus quaestionis impedimentum contineri videtur, quod saepissime, quomodo usus loquendi cum illa regula consentiat, valde ambiguum est.

Singularem ac miram sententiam de hac re Reisigius protulit in commentatione critica ad Soph. Oedipi Colonei versum 360. Qui cum in initio disputationis Hermanni rationem explicandi tortuosam nominaverit, ipse mea sententia multo magis quam ille hujus peccati accusandus est. Nam equidem profiteor talem explicationem, qualem hic vir doctus excogitavit, non modo nimis artificiosam atque obscuram sed plane nullam mihi videri. Ita autem rem composuit, ut particula οὐ denuo quasi inculcetur negatio, quae in enuntiato praecedente insit, quare non cum dubitatione, sed fortius μὴ οὐ negare censet, cum οὐ per ellipsin quandam appositum sit magnaque voce prematur. Exempli gratia enuntiatum quod est: πείσομαι γὰρ οὐ τοσοῦτον οὐδὲν ὥστε μὴ οὐ καλῶς θανεῖν ita explicat, ut significet hoc: πείσομαι γὰρ οὐ τοσοῦτον οὐδὲν ὥστε μή, οὐ πείσομαι, καλῶς θανεῖν. Propter singularem suam vim vocem οὐ in his exemplis semper accentu distinguendam existimat. Sed ut id,

quod haec explicatio vehementer artificiosa videtur esse, omittamus, alia quoque in eam pugnant. Nam et tota constructio sententiarum hoc modo interrumpitur atque obscuratur et μὴ sine ulla causa a verbo suo sejungitur, quadecausa μὴ οὐ nullo modo sic dici posset, sed potius οὐ μὴ, quod si illa Reisigii ratione explicamus, bene fluere potest oratio, exempli gratia: *ἀδύνατόν ἐστιν, οὐ (δυνατόν ἐστι) μὴ τοῦτο ποιεῖν.*

Praeterea Reisigii explicandi ratio non in usum particularum μὴ οὐ cum modis finitis conjunctarum quadrat, ubi eas se invicem tollere apparet.

Quam Reisigii explicationem fere totam Merzius probavit, qui in commentatione »de vero ac genuino particularum μὴ et μὴ οὐ usu» (Elbingae 1827) fusius quaestionem de qua agimus tractavit. Atque imprimis Reisigio de iis assentitur, quae contra Hermannum disputat ille vir doctus, cum vehementissime id vituperet, quod contendit particulis μὴ et οὐ conjunctis ubi usi sint, Graecos semper rem cum dubitatione quadam negare voluisse, id quod non minus recte mihi rejecisse videtur quam Reisigii sententiam, post particulam οὐ verbum, ex quo pendeat infinitivus, cogitatione repetendum esse. Discrimen autem inter voces μὴ et μὴ οὐ id statuit, ut altera totum enuntiatum, cui praecedat, altera unam demum vocem negari contendat, quadecausa omnem differentiam ad accentum revocandam censet, cum, ubi μὴ adjunctum sit, id ipsum, ubi μὴ οὐ exstet, sequens verbum accentu maxime premendum sit. Sed in hanc disputationem primum id monendum videtur, Merzium cum rectissime Hermanni Reisigiique explicationes refutaverit, ipsum non novam rei illustrandae rationem indicasse, sed solum usum harum particularum ac significationem descripsisse. Cur enim, si differentiam in solo accentu positam statuimus, Graeci non semper simplici negatione μὴ usi sint, sed diversis particulis insuper enuntiata instruxerint, omnino non explanavit neque ego causam hujus rei intelligo. Sed ne hanc quidem particularum μὴ et μὴ οὐ distinctionem probari posse postea, si singula tracta-

bimus, luculenter apparebit. Illud tantum hoc loco monere volo, Merzium sine dubio eo in hunc errorem adductum esse, quod μὴ nonnunquam, ubi verbo adjunctum est, ad totum enuntiatum negandum spectat, exempli causa in eo, quod apud Sophoclem (in Antigonae versu 443) legimus:

Καὶ φημὶ δρᾶσαι κοὐκ ἀπαρνοῦμαι τὸ μή, quam oppositionem contradictoriam (ut philosophi dicunt) omnino non semper, ubi μὴ occurrit, in verbis inesse postea satis planum fiet.

Diligentissimam operam posuit in quaestione, de qua agimus, Eduardus Wentzelius, qui in duabus commentationibus eam tractavit, primum in ea, qua de particulis μὴ οὐ cum participio conjunctis agit (Oppolii anno 1832), deinde in programmate quod vocant gymnasii Glogaviensis (anni 1843) ubi totam rem accuratissime tractavit. Atque hunc virum optime de ipsa causa rei explananda meruisse nemo certe dubitat, cum omnium primus intellexerit, in explicanda harum particularum conjunctione semper *propriam* earum notionem ac vim respiciendam esse, ita ut fieri non possit, quin eas invicem se tollere putemus. Quam summam totius explicationis legem esse debere ego quoque maxima cum gravitate contendo, sed non prorsus eam probare possum rationem, quam vir doctissimus in disputatione sua iniit. Dicit enim in paragraphi 22. initio (prioris commentationis), negationem οὐ, quae particulae μὴ postposita sit, nihil aliud esse quam repetitam negationem sententiae primariae, in qua semper affirmativam sententiam negari contendit; atque iteratae negationi οὐ animo ea verba apponenda esse, ad quae negatio οὐ in sententia primaria pertineat; particulam μὴ autem praefixam esse huic negationi, ut vetemur cogitare id, quod in sententia primaria non fieri dicatur, non fieri, si res participio (nam de participio hic agit) enuntiatae fiant. Itaque his enuntiatis duas sententias contineri, alteram negativam (ipsam sententiam primariam), alteram affirmativam, quam conjunctio particularum μὴ οὐ indicet quaeque exprimat id, quod in sententia primaria non fieri dictum sit, fieri, si res participio de-

scriptae fiant. Igitur has particulas ad antecedentia spectare et participium negatione omnino carere contendit.

Atque hanc opinionem in posteriore quoque disputatione professus est, ubi rem ita describit, ut ellipsis quae vocatur statuenda sit; exempli gratia quod Lucianus in Toxar. § 16 dicit: *διηγεῖτο* (sc. Dinias) *ὡς οὐ βιώσεται μὴ οὐ συνὼν τῇ Χαρικλείᾳ*, ita circumscribendum putat: *διηγεῖτο ὡς οὐ βιώσεται μὴ (ὑπολάβῃς ὅτι) οὐ (βιώσεται) συνὼν τῇ Χαρικλείᾳ*. Sed quam contorta sit haec explicatio, neminem certe fugit ipseque id suspicatus esse videtur. cum pag. 7 aliter rem exponere conetur, ita ut hic alteram negationem ad participium referat, ellipsin autem post vocem *μὴ* retineat sic scribens: *οὐ βιώσομαι μὴ* (scil. *ὑπολάβῃς ὅτι βιώσομαι*) *οὐ συνὼν τῇ Χαρικλείᾳ*, quam explicationem propter grammaticas difficultates ipse rejecit. Illa autem, quam praetulit, ratio mea quidem sententia non solum propter duritatem istam (quam jam antea in Reisigii explicatione invenimus) sed etiam propter sententiae ipsius, quam efficit, difficultates non potest probari. Illud enim, quod ex Luciano attuli: *οὐ βιώσομαι μὴ (ὑπολάβῃς ὅτι) οὐ (βιώσομαι) συνὼν τῇ Χαρικλείᾳ* non aliter possumus vertere quam sic: non vivam, ne cogites me victurum non esse, si cum Chariclea consuetudinem habebo. Sed si enuntiata ita comparata esse putamus, omnino illa vis, quam in hac constructione inesse Wentzelius ipse recte contendit, evanescit, quoniam verba quae sunt *μὴ ὑπολάβῃς ὅτι οὐ βιώσομαι συνὼν τῇ Χαρικλείᾳ* id solum significant, Diniam, si Charicleae consuetudine utatur, victurum esse, non autem id (quod maximi momenti est) hanc consuetudinem unam solamque condicionem vivendi esse. Igitur omnino non inest in his verbis, quod vertit Wentzelius: er werde nicht leben, ausser er hätte Umgang mit Charikleia, vel er müsste denn Umgang mit Charikleia haben. Ni fallor hanc maxime ob causam alteram illam explicationem (quae quidem ob alias causas teneri nequit) protulit, quod non inesse vidit in illis verbis eam notionem, quam ex iis elicere voluit.

Quae cum ita sint, de Wentzelii ratione explicandi id monendum videtur, eam in universum fundamento omnino apto atque probabili niti et optimo jure propriam utriusque negationis notionem retinere, non autem placere in ea, quod ad ellipsin illam recurrat.

Quod ad Gayleri rationem, quam in libro suo de particulis graecis negativis exposuit, attinet, ex iis, quae de prioribus virorum doctorum sententiis dixi, clarissime elucet me omnino non posse ei assentiri. Nam cum totum negationum *μὴ οὐ* usum in duas partes dividat, quarum altera conjunctionem earum cum modis finitis quos vocant contineat, altera ea exempla, ubi infinitivo, participio, nomini *μὴ οὐ* appositum exstet, complectatur, ad utramque illustrandam falsam eum inisse viam existimo. Primum enim *μὴ οὐ* cum conjunctivo vel indicativo conjunctum non recte ita explicare videtur, ut particulam *μὴ* interrogativam esse contendat (quoniam sic non propriam suam vim teneret); deinde autem non minus in eo errare videtur, quod voce *μὴ οὐ* cum infinitivo etc. conjuncta fortiorem negationem significari dicit, ita ut *οὐ* ad vim negationis augendam orationi insertum sit. Haec enim ratio cum externa demum verborum forma respecta non ad ipsius linguae leges referatur tum prorsus connexa orationis membra divellit.

Jam de Madvigii sententia, quam in libello suo qui est: »Bemerkungen über einige Punkte der griechischen Wortfügungslehre« (Braunschweig 1848) pag. 47 sqq. exposuit, pauca dicenda videntur. Atque in universum hic quoque vir doctus rectissime statuit, negationes sic conjunctas semper invicem se tollere, quam opinionem ita firmare studet, ut infinitivum (de quo solo hoc loco disputavit) non arte cum verbo, ex quo pendeat, conjunctum esse, sed tantum id, quod eo efficiatur, significare contendat. Verum erravisse videtur in eo, quod dicit, vocem illam *μὴ* vel *μὴ οὐ* non ex ipsa graeci sermonis indole atque natura recte et constanter ortam, sed per negligentiam quandam et oblivionem adjectam esse. Neque id recte eum

judicare existimo, quod varias constructionum formas, quae in his infinitivis occurrunt, nisi origine omnino non differre putat, ita ut idem semper significent exempli gratia haec: *οὐκ εἴργω ποιεῖν*, *οὐκ εἴργω μὴ ποιεῖν*, *οὐκ εἴργω μὴ οὐ ποιεῖν*, vel: *οὐ δύναμαι μὴ εἶναι* et *οὐ δύναμαι μὴ οὐκ εἶναι* quaeque similia sunt. Sed cum haec jam artius cum ipsa quaestione cohaereant, postea accuratius de hac Madvigii sententia disseremus.

Restat ut de nonnullis sententiis, quae novissimis temporibus prolatae sunt, nonnulla addamus. Ac primum Lieberkühnii ratio commemoranda est, quam in programmate Vimariensi (anni 1853) exposuit. Equidem cum haec perlegerem, non potui perspicere, quomodo ad tales ineptias aberrare potuerit ille vir doctus. Putat enim in talibus enuntiatis, ubi *μὴ οὐ* cum infinitivo junctum sit, oppositionem intercedere inter sententiam primariam quam vocant et infinitivum, ita ut verba *οὐ πείθω σε μὴ οὐ θανεῖν* significent: »non suadeo, tamen moreris.«

Quae verba ita germanice exprimenda putat ut dicat: »obwohl ich Dich überrede (*οὐ πείθω!*), so stirbst Du dennoch«. Quam rationem omnino falsam esse luculenter apparet, neque una solum iniquitate laborare videtur. Cum enim plerumque illud *οὐ πείθω σε μὴ οὐ θανεῖν* vertamus: »non suadeo tibi (ut) ne moriaris« i. e. »per me tibi licet mori«, facere non possumus, quin illam Lieberkühnii explicationem *καίπερ πείθοντος ἐμοῦ (σε θανεῖν) ὅμως θνήσκεις*, vel ut haec verba latine exprimam: etiamsi tibi suadeam, ut moriaris, tamen moreris, prorsus absurdam esse judicemus: repugnat enim apertissime et graecis verbis et logicae rationi. Deinde autem ne haec quidem versio: »tamen moreris« probari potest, quoniam non inest in verbis *vere* eum *mori*, sed illud tantum, ei *licere* mori eumque non abstineri, quominus moriatur. Quid? Si hanc explicationem ad alia enuntiata transferimus veluti: *οὐ δύναμαι μὴ οὐκ ἐλθεῖν*, quod latine vertendum est: non possum facere, quin eam (i. e. omnino debeo ire), nonne plane absurda est senten-

tia, quae est: etiamsi possim (scil. ire) tamen eo? Sed haec hactenus; id apertum esse videtur, omnino a vero aberrasse illum virum doctum, cum talia excogitaret.

Neque magis Kolstero assentiri possum, qui in commentatione sua de particulis *μὴ οὐ* (quae in programmate scholae Meldorfiensis anni 1866 inest) prorsus in errorem dudum sublatum relapsus esse videatur. Neque id mirum, cum solis Hermanni, Buttmanni, Hartungi praeceptis respectis omnium aliorum, quos commemoravi, virorum doctorum rationem non habuerit, quodsi fecisset, sine dubio plane aliam sententiam consecutus esset. Ut igitur breviter, quid statuat, perstringam, primum summopere premit, *non* se invicem tollere negationes *μὴ οὐ* (quod mea sententia prorsus falsum est); deinde in eo praesertim disputatio ejus nititur, quod particulas *μὴ οὐ* ubique ad ellipticum quendam usum referendas esse contendit, ita ut notio timendi vel similis mente addenda sit. Cujus explicandi rationis unum tantum exemplum instar omnium proferam, quod in Sophoclis Ajacis versu 727 occurrit:

ὡς οὐκ ἀρκέσοι

τὸ μὴ οὐ πέτροισι πᾶς καταξανθεὶς θανεῖν. Quae verba sic cogitatione supplenda censet: *ὡς τὸ θανεῖν (ἐκεῖνον αὐτοῖς) οὐκ ἀρκέσοι (δεδοικόσι) μὴ οὐ πᾶς καταξανθεὶς πέτροισι (θάνοι)*. Sed unde colligi licet, eos *metuere* ne non moriatur? Hoc satis erit, cum illam explicationem nullam esse luculenter primo obtutu appareat. Nostris enim temporibus ea grammaticae artis tractandae ratio, qua omnia, quae obscura vel ad explicandum difficilia sunt, ellipsi et pleonasmo vel aliis machinis explanantur, rude donata est.

Denique Baeumleinii quoque sententia, quam in libro suo de particulis graecis (pag. 312—315) exposuit, pauca proferenda sunt. Recte hic vir doctus id summopere premit, notionem harum particularum affirmativam esse, nec minus recte Hermanno adversatur in eo, quod affirmationem gravissimam, non lenem esse contendit. Ceterum cum totam rem leviter tantum

perstringat, de ipsa causa atque origine hujus constructionis nihil profert.

Nihil fere ad quaestionem nostram dijudicandam homines docti in grammaticae graecae institutionibus, quae totam rem in universum tractant, contulerunt, cum plerumque a re ipsa explicanda abstinentes solum sermonis usum tractandum sibi proposuerint; quadecausa jam in ipsam rem intrare licebit.

Ac primum quidem, quod iis, quae supra diximus, respectis jam satis superque patet, summopere id premendum existimo, particulas *μὴ* et *οὐ*, ubi conjunctae vel indicativo conjunctivo optativo vel infinitivo participioque appositae exstent, semper invicem se tollere, ita ut graviorem affirmationem significent. Deinde autem cum omnino haec quaestio ita comparata sit, ut saepissime infinitivo vel participio non solum illud *μὴ οὐ* adjungi possit, sed etiam aliam elocutionis viam Graeci ingressi sint, facere non possumus, quin totam disputationem ita tractemus, ut similia illa dicendi genera diligentissime respiciamus, quomodo notione differant perquiramus quaeque usus ratio inter ea intercedat accuratius observare studeamus. Quadecausa ad propriam particularum *μὴ οὐ* naturam cognoscendam universus ille pleonasticus quem vocant usus particulae *μὴ* contemplandus esse videtur.

Post multa verba infinitivo, qui ex iis pendet, particulam *μὴ* ita adjungi, ut nobis supervacanea videatur, nemo non cognitum habet; sed quaeritur, quomodo hic usus probabiliter explicetur. Non enim res, si pleonasmum statuimus, plana fit, cum ita tantum de abundantia verborum dicere possimus, ut nostrae vel aliarum linguarum usum cum illo comparemus. Exempli causa si verba *εἴργω αὐτὸν μὴ ἐξιέναι* vertimus, facere non possumus, quin voculam *μὴ* in versione omittamus: tamen propriam suam negativam vim eam tenere demonstrandum est. Quod plurimi recentioris aevi homines docti ita fecerunt, ut dicerent infinitivum non tam arte cum sententia primaria cohaerere, sed objectum, ut ita dicam, remotius significare. Accura-

tiorem de hac re quaestionem imprimis Wentzelius et Madviigius ll. ll. instituerunt, qui in eo consentiunt, quod existimant infinitivo *exitum* vel *effectum* actionis verbi, de quo pendeat, exprimi ideoque, quoniam verba illa semper finem negativum significent, *μὴ* infinitivo adjungi. Sed mea sententia rationem, qua illud consideretur, paullo diversam inire debemus. Madvigius enim cum hac particula abundanter infinitivo adjecta Graecorum linguam quodammodo a certis suis legibus aberrasse putaret, eo adductus est, ut totum hunc usum inconstantiae cuidam ac negligentiae tribueret. Semper enim inde profectus est, quod existimavit infinitivum artissimis vinculis cum verbo, de quo penderet, conjunctum esse, ita ut omnino substantivi locum teneret. Quadecausa particularum *μὴ οὐ* conjunctione etiam magis infinitivum a verbo suo sejungi putavit et linguam his particulis adjunctis propriam illam rationem, quae inter infinitivum et verbum, de quo penderet, intercederet, omnino oblitam esse contendit, id quod maxime ex iis elucet, quae pag. 50 dicit, e quibus hoc tantum afferam: »Die gewöhnlich eintretende Neutralisation der ersten Verneinung durch eine neue hinzugefügte Verneinung (*μὴ οὐ*) ging den Infinitiv nur als Resultat der verneinten Hinderung an, also eben vermöge einer weiteren Verdunkelung des eigentlichen Verhältnisses des Infinitivs als vom Hauptverbum abhängend.«

Equidem omnino aliter rem tractandam esse censeo cumque illis hominibus doctis in eo plane assentiar, quod dicunt infinitivum laxius cum verbo cohaerere, prorsus contrariam rationem explicandi capessendam esse mihi persuasi. Non enim mea quidem sententia hic negativarum particularum usus a propria graeci sermonis indole atque a linguae legibus historicis abhorret: immo etiam haec laxa conjunctio membrorum orationis ex ipsa priore linguae condicione remansisse videtur, cui maxime id proprium est, quod singula enuntiata nondum tam arte constructa et quasi conglutinata habet quam posterioris aetatis sermo ad logicas leges comparatus atque excultus.

Quamobrem ejus modi infinitivos cum voce *μὴ* conjunctos

omnino a verbis praecedentibus sejungendos puto neque ita explicandos, ut *ὥστε* vel simile verbum mente addatur; ad quam rationem confirmandam multae similitudines sermonis graeci afferri possunt — ut taceam de aliis linguis. Saepius enim apud Homerum potissimum infinitivus ita usurpatur, ut a nullo verbo pendens in imperativi significationem abire videatur, sicut in Iliadis libro *γ*, v. 285, ubi legimus:

εἰ δέ κ' Ἀλέξανδρον κτείνῃ ξανθὸς Μενέλαος,
Τρῶας ἔπειθ' Ἑλένην ἀποδοῦναι —

et apud Hesiodum, *ἔ. κ. ἡμ.* v. 391:

γυμνὸν σπείρειν γυμνόν τε βοωτεῖν. ubi grammatici mente addi jubent vocem *κελεύω*. Deinde infinitivum nonnunquam in exclamationibus sic positum videmus, veluti in Aristoph. Nub. v. 816:

τὸ Δία νομίζειν, ὄντα τηλικοῦτον.

Ut igitur ad exemplum illud, quod antea protuli, redeamus, quod est *εἴργω αὐτὸν μὴ εἰσιέναι*, non ita haec duo enuntiata conjungenda videntur, ut explicemus: *εἴργω αὐτὸν ὥστε μὴ εἰςελθεῖν*, sed *εἴργω* quasi absolute positum est et infinitivus *μὴ εἰςελθεῖν* non ab eo pendet, sed per se adjungitur. Quod recte perspexisse videntur, qui ante infinitivum verbum illi *εἴργω* contrarium mente addendum putaverunt, cum constructionem his verbis describerent: *εἴργω αὐτὸν καὶ πείθω μὴ εἰςελθεῖν*; sed Graecos revera, cum infinitivos sic usurparent, non mente aliquid addidisse equidem pro certo affirmaverim atque pro mea sententia simillimam graeci sermonis proprietatem affero, quae apud haec ipsa verba negativum finem significantia cernitur: nam indicativo quoque *οὐ* sic apponitur in enuntiatis conjunctione *ὅτι* vel *ὡς* instructis, exempli gratia apud Xenoph. Hellen. II, 3, 16 legimus: *ὁ δὲ ἀντέλεγεν ὅτι οὐκ ἐγχωροίη* e. q. s. et apud Demosthenem in Philipp. III, § 54 in fine exstat: *ὧν οὐδ' ἂν ἀρνηθεῖεν ἔνιοι ὡς οὐκ εἰσὶ τοιοῦτοι.*

Quae si circumspicimus, facere non possumus, quin verba illa negandi absolute posita esse et enuntiata, quae conjunctione

ὅτι vel *ὡς* initium faciunt, omnino ab eis sejuncta putemus, cui explicationi et propria vocis *ὅτι* significatio, quae est »quod attinet« (cf. nostrum »dass«, latinum »quod») et ejus usus convenit, cum saepius et infinitivo et indicativo in oratione directa quam dicunt *ὅτι* praeponatur, ubi grammatici id abundare statuunt, velut in Xenoph. Cyropaedia V, 2, 9: *ὁ Κῦρος ἀπεκρίνατο· ὅτι, ἔφη, ὦ Γωβρύα, οἴομαι.* Apertissime hanc sententiam ejusmodi loci confirmant, ubi attractione quadam verbis dicendi aliisque et accusativus et *ὅτι simul* adjunguntur, exempli causa in Xenoph. Anab. I, 2, 21: *ᾔσθετο τὸ Μένωνος στράτευμα ὅτι ἤδη ἐν Κιλικίᾳ εἴη*, quam constructionem fortasse epexegeticam nominare possumus.

Sed haec sejunctio membrorum, quam maxime in prisca linguarum conformatione occurrere et plerumque in vulgari sermone conservatam esse videmus, paullatim arctiori enuntiatorum conjunctioni cessit, id quod luculentissime ipsius infinitivi graeci historia docet. Nam magis magisque infinitivus ad substantivi notionem transiit, ita ut tandem cum articulo ipso conjungeretur et ex omni genere verborum pendere posset. Sed apud Homerum, nisi fallor, neque ullum infinitivi cum articulo vel praepositione conjuncti exemplum exstat, neque omnino tam arctis vinculis cum verbo suo conjungitur infinitivus.

Quae si recte se habent, Madvigii illam aliorumque rationem minime probandam esse elucet, immo etiam, cum infinitivo sic *μὴ* adjungeret, graeca lingua viam ad indolem suam plane accommodatam inisse videtur.

Jam autem quaeritur, quaenam ratio inter hanc formam, quae est *εἴργω αὐτὸν μὴ εἰσιέναι* et illam negatione carentem: *εἴργω αὐτὸν εἰσιέναι*, quam et ipsam in graeco sermone satis usitatam fuisse constat, intercedat. Quamquam exempla utriusque usus circumspicientibus nobis saepissime in singulorum scriptorum arbitrio positum videtur, utra dicendi ratio praeponatur, tamen mea sententia in ipsa natura rei est eam formam, cui *μὴ* adjunctum est, aliquomodo graviorem quam alteram esse, sicut

in nostro quoque sermone enuntiato: »ich verbiete es dir, du sollst das nicht thun« majorem apparet vim inesse quam huic: »ich verbiete dir das zu thun.«

Neque alia videtur res esse in particularum *μὴ οὐ* conjunctione, quas ita semper invicem se tollere censeo, ut gravior evadat affirmatio. Ac primum, si exempla harum particularum cum modis finitis quos dicunt conjunctarum perlustramus, omnino illud elucet, cum in ejusmodi enuntiatis *μὴ οὐ* conjunctioni »ne non« latinae respondeat. Multo difficilior sine dubio res apud infinitivum et participium est, sed bene illud, quod de hac particularum conjunctione in universum statuimus, servari potest, dummodo teneamus, infinitivum et participium in talibus enuntiatis non arcte cum verbo praecedente conjunctum, sed quasi nudum majore cum vi positum esse. Itaque ut exemplo rem illustremus, enuntiatum quod est *οὐκ εἴργω αὐτὸν μὴ οὐκ εἰσιέναι* ita comparatum est, ut quasi ex duobus sejunctis membris constet, ideoque latine optime exprimitur haec ratio, si vertimus: non abstineo eum *quin* introeat. Nam si accuratius Romanorum dicendi usum inspexerimus, in dubio remanere non poterit, omnino similem, immo etiam, quod ad principium rei attinet, eandem utramque linguam iniisse viam. Romani enim cum et ipsi post illa verba prohibendi, arcendi aliaque negativam particulam *ne* vel *quominus* ponerent, ita ut exempli gratia dicerent: »prohibeo eum ne introeat«, vel »quominus introeat«, tum si his verbis negativa particula annexa erat vel negativa vis (vix, aegre, paene) suberat, saepissime conjunctione »quin« utebantur, cui conjunctioni prorsus affirmativam notionem inesse nemo non videt. Nam procul dubio conjunctio quin ex adverbio quî et particula nĕ originem ducit atque propria ejus significatio interrogativa est, quadecausa non differt a Graecorum particulis *μὴ οὐ* nisi eo, quod altera negatio in ipsa interrogatione inest. Si enim dicimus: facere non possum quin te castigem, hoc idem est ac: facere non possum, quomodo te non castigem? (germanice: »wie sollte ich dich nicht züchtigen«, quod idem

est ac: »ich muss dich durchaus züchtigen«). Apparet in latino quoque sermone haec enuntiata laxius connexa esse et particula quin graviorem affirmationem exprimi. Quam sententiam contra plurimorum hominum doctorum placita acriter pugnare mihi haud ignotum est: sed cum hic locus non sit meam opinionem fusius exponere, unum Plauti locum afferre satis habeo, qui luculenter docet *affirmativam*, non negativam esse particulae quin significationem. Exstat in Plauti Asinaria II, 1, 11: »Ita aequum est, quod in rem esse utrique arbitremur — monere neque occultum id haberi neque per metum mussari, *quin* participem pariter ego te et tu me *ut* facias«. Quomodo enim poeta particulam ut addere poterat, nisi verbo quin affirmativam notionem tribuebat?

Ex iis, quae disputavimus, apertum fit, ipsa particularum *μὴ οὐ* et »quin« natura ac notione causam contineri ejus rei, quod nusquam nisi praegressa negatione inveniuntur; non enim potuerunt neque Graeci dicere *εἴργω αὐτὸν μὴ οὐκ εἰσιέναι* neque Romani: »retineo te quin introeas«, quoniam si ita enuntiata comparata sunt, aperte inter se pugnant propter diversam notionem, quae est: retineo te (scil. *ne* introeas), quomodo non introeas? (i. e. age, introeas!) Itaque illud in quaestione nostra fortissime premendum videtur, particulas *μὴ οὐ* ob propriam suam notionem nusquam nisi negatione in enuntiato primario aut expressa aut sententia indicata usurpari posse. Nam de posteriori Graecitate, ubi hanc regulam laesam videmus, postea videbimus.

Jam autem cum non hac sola ratione Graeci ejusmodi enuntiata composuerint, sed etiam aliis viis usi sint, ad quaestionem nostram accuratius tractandam satis magnam vim habere videtur in has varietates elocutionis inquirere. Praeter illam igitur formam, quam commemoravi (*οὐκ εἴργω αὐτὸν μὴ οὐκ εἰσιέναι*) Graeci duas alias in usum vocaverunt, cum et dicerent *οὐκ εἴργω αὐτὸν μὴ εἰσιέναι* et *οὐκ εἴργω αὐτὸν εἰσιέναι*. Quarum constructionum altera, quae est *οὐκ εἴργω αὐτὸν*

εἰσιέναι, ex iis, quae de infinitivi graeci usu et historia dixi, bene intelligi potest. Nam in hac verborum const uctione infinitivus artissime cum verbo conjunctus est, ita ut fere in substantivi notionem transierit, quadecausa aeque ac illud *εἴργω αὐτὸν εἰσιέναι* dicitur *οὐκ εἴργω αὐτὸν εἰσιέναι*, sicut in vernaculo sermone loquimur: »ich halte ihn nicht vom Hineingehen ab«, id quod eo comprobatur, quod genitivi signum a Graecis nonnunquam infinitivo additum videmus, veluti in Xenophontis Memorabilibus II, 1, 16: *τοῦ δὲ δραπετεύειν δεσμοῖς ἀπείργουσιν*. Alteram autem rationem elocutionis: *οὐκ εἴργω αὐτὸν μὴ εἰσιέναι* et ipsam facile explicare poterimus, si illud *εἴργω αὐτὸν μὴ εἰσιέναι* respicimus, cum appareat eam laxiori illi verborum conjunctioni attribuendam esse, quam nos ita fere vertendo explanare possumus: »non id specto ut eum arceam ne (vel *quominus*) introeat«. Quod ad differentiam harum rationum attinet, eam in sola vi ac gravitate positam esse existimo, cum illarum, quae sunt *οὐκ εἴργω αὐτὸν μὴ* vel *μὴ οὐκ εἰσιέναι* utraque aliquanto fortior videatur quam ea, quae est: *οὐκ εἴργω αὐτὸν εἰσιέναι*: illas autem ipsas ita inter se differre statuo, ut altera (*οὐκ εἴργω αὐτὸν μὴ εἰσιέναι*) id tantum significetur, non velle aliquem impedire, quominus introeat alius; alteri autem affirmativa quaedam notio insit, cum ea exprimatur sententia, aliquem non modo non ab introitu prohibere velle, sed etiam ad eum invitare, vel quod eodem redit, ut in illa elocutione ipsa *impediendi* notio intendatur, in hac autem positiva, ut ita dicam, totius enuntiati (quod est *οὐκ εἴργω*) vis graviter prematur. Quas duas rationes Romani quoque, cum tertiam illam omnino negatione carentem non usurpasse videantur (si poetas excipimus), in talibus enuntiatis secuti sunt, ita ut et dicerent »non prohibeo quin introeat« (cf. non prohibere et vetare quin: Plaut. Curcul. I, 1, 33; non prohibeo quin Horat. Sat. I, 8, 21; nequeo retineri quin Plaut. Trin. II, 8, 12; nec depellor quin — ibid. II, 8, 11) et: »non prohibeo ne (vel quominus) introeat«. Quamquam hoc discrimen in ipsa enuntiatorum origine ac natura positum neque Romani

neque Graeci semper observaverunt sed plerumque illas formas promiscue in usum vocaverunt.

Verum non tantum haec varietas constructionum, quibus Graeci in ejusmodi enuntiatis usi sunt, quaestionem nostram haud facilem reddit ad circumspiciendum, sed aliud quoque accedit, quod hominibus doctis saepissime magnas difficultates attulit. Haud raro enim infinitivo articulus quem vocant ita adjungitur, ut eum angustissime cum verbo conjungere videatur: tamen etiamsi hoc fit, infinitivo *μὴ* et *μὴ οὐ* adduntur, quas particulas nisi in laxiore illa constructione locum non habere supra jam demonstrare conati sumus.

Primum igitur saepissime vocem *τὸ* cum infinitivo conjunctam invenimus post illa verba negatione instructa atque ita, ut infinitivus vel negatione careat vel simplicem particulam *μὴ* vel utramque *μὴ οὐ* habeat. Exempli causa in Sophoclis Philoctetae versu 118 exstat: *οὐκ ἂν ἀρνοίμην τὸ δρᾶν*, et Plato in Civit. pag. 354, B dicit: *οὐκ ἀπεσχόμην τὸ μὴ οὐκ ἐπὶ τοῦτον ἐλθεῖν ἀπ᾽ ἐκείνου*, et apud Demosthenem orat. XIX, 163: *οὐδ᾽ ἄρνησίς ἐστιν αὐτοῖς τὸ μὴ ταῦθ᾽ ὑπὲρ Φιλίππου πράττειν*. Quaeritur qua ratione illud *τὸ* explicandum sit. Ac recte mihi Wentzelius, Madvigius aliique judicare videntur, cum hoc articulo infinitivum non artius cum verbo praecedente conjungi existiment (cf. Wentzelium l. l. [II] pag. 12, Madvigium l. l. pag. 55), id quod compluribus argumentis confirmatur. Nam illud *τὸ* infinitivo saepe additur ita ut non objecti notione fungatur sed solute per se ponatur, sicut in Sophoclis Antigona, v. 78: *τὸ δὲ βίᾳ πολιτῶν δρᾶν ἔφυν ἀμήχανος*, et in Plat. Lyside pag. 215: *ἔξαρνος εἶ τὸ δρᾶν*; quae res in iis exemplis manifestissima fit, ubi verba quae plerumque cum genitivo vel alio casu construuntur, infinitivo illud *τὸ* affixum exhibent, velut in Plat. Lach. pag. 186: *ἐγὼ αἴτιος τὸ σὲ ἀποκρίνασθαι*, et in Xenoph. Republ. Lacedaem. 5, 7: *ἀναγκάζονται τὸ ὑπὸ οἴνου μὴ σφάλλεσθαι ἐπιμελεῖσθαι* (cf. Matthiae, gramm. graec. § 542, annot. 2 et 3). Quae omnia si contemplamur, facere non possumus, quin illud *τὸ* infinitivo additum ita explicemus, ut vertamus »quod attinet«

quod si recte statuitur, hoc articulo adjecto minime angustiorem fieri conjunctionem verborum luculenter apparet. Itaque sine dubio nullam offensionem praebent ii loci, quibus cum articulus exstet, infinitivo tamen *μὴ* vel *μὴ οὐ* additum invenimus, atque errare videtur Madvigius, cum nonnunquam infinitivum revera objecti instar e verbo praecedente pendere censeat, quamquam negativa particula remaneat, sicut in Platonis Phaedro pag. 117, C: *κατέχω τὸ μὴ δακρύειν*. Si enim sic res comparata esset, omnino incredibile videretur ac mirum, Graecos negationem addidisse.

Sed multo difficilior in iis exemplis est res, ubi infinitivus *genetivo* articuli instructus se offert: nam genetivum id ipsum indicare, verbum ex verbo dependere artissimeque cum eo conjunctum esse, quis est qui ignoret? Quamobrem optimo jure homines docti mirati sunt, quod quamquam enuntiata ita comparata sunt, tamen nonnunquam *μὴ* infinitivo additum videbant. Atque Madvigius de hac re bene et convenienter explicanda desperasse videtur, cum linguam graecam hac ratione enuntiatorum formandorum plane quasi in errorem incidisse contendat (vide quae pag. 48 fere media de hac re profert) et nobis, si probabilem genetivi explicationem invenire non potuerimus, libere profitendum erit in hac re linguam Graecam sibi non constitisse. Sed antequam usque eo procedamus, omnibus viribus, ut genetivus apte explicetur, elaborandum est.

Ac mea quidem sententia genetivus bene potest ita explicari, ut negativa particula infinitivo adjecta et ipsa propriam suam vim teneat. Saepissime enim genetivum fere aequo modo usurpatum videmus atque accusativum, quem haud raro absoluta quadam notione fungi supra commemoravimus. Cujus usus qui certa exempla desiderat, inspiciat haecce: Xenophon in Oeconom. 3, 11 dicit *τῆς δὲ γυναικὸς, εἰ διδασκομένη ὑπὸ τοῦ ἀνδρὸς τἀγαθὰ κακοποιεῖ, δικαίως ἂν ἡ γυνὴ τὴν αἰτίαν ἔχοι*, i. e. »quod ad mulierem attinet« e. q. s. Deinde Homeri Odyss. *Λ*, 174:

εἰπὲ δέ μοι πατρός τε καὶ υἱέος, ὃν κατέλειπον,
ἢ ἔτι παρ' κείνοισιν ἐμὸν γέρας e. q. s.

Neque aliter res in infinitivi constructione comparata videtur: primum enim articuli genetivus, qui est *τοῦ*, infinitivo adjungitur ad substantivum abstractum explicandum, ubi nos alia constructione uti debemus in versionibus, exempli gratia in Demosth. oratione *περὶ εἰρήνης* p. 62: *λαβεῖν ἠβούλετο τὴν δόξαν τοῦ πολέμου, τοῦ δοκεῖν δι' αὑτὸν κρίσιν εἰληφέναι*, i. e. belli gloriam, quae ea re *continetur*, quod Philippus bellum decrevisse putatur. Deinde eadem infinitivi forma Graeci saepius utuntur ad consilium indicandum, veluti Thucydides I, 23: *ξυνέγραψα τὰς διαφορὰς τοῦ μή τινα ζητῆσαί ποτε, ἐξ ὅτου τοσοῦτος πόλεμος κατέστη*, et quae sunt similia (videas Buttmanni grammaticam, § 141, 5 annot. 10 sqq.). Quae omnia si circumspicimus, haud improbabile videtur, quod infinitivum neque hic e verbo pendere ideoque particulam *μὴ* omnino recte se habere existimo, quae res maxime eo firmatur, quod tales infinitivi saepe cum substantivis conjunguntur, velut in Platonis republ. 279, C: *ἐν ἀσφαλεῖ τοῦ μηδὲν παθεῖν*, sicut nos dicimus: »in Sicherheit, nichts zu leiden«; Plato Euthyd. pag. 272, B *ἀμυντήρια τοῦ μὴ πάσχειν* »Abwehrmittel *gegen* das Leiden», vel »in Betreff, für das Nichtleiden«: Demosth. orat. XXIV, 31: *ἄδεια τοῦ μὴ παθεῖν* »Furchtlosigkeit in Bezug auf, vel desshalb, weil man nichts leiden soll», contra Lys. 30, 34: *ἄδεια τοῦ ποιεῖν ὅτι ἂν βούλωνται*, quod nos vertimus »Furchtlosigkeit, so dass sie thun konnten was sie wollten«, vel »zu thun was sie wollten». Igitur mea sententia illa infinitivi exempla, in quibus genitivus articuli ei adjunctus est, ita explananda sunt, ut non reapse pendeat infinitivus a verbo, sed magis solute ei se applicet. Exempli gratia illud quod in Xenophontis Anabasi III, 5, 11 exstat: *ὁ ἀσκὸς δύο ἄνδρας ἕξει τοῦ μὴ καταδῦναι* bene se habet, si infinitivum quasi epexegetica notione positum esse statuimus ac vertimus: »Der Schlauch wird zwei Männer halten, dass sie nicht untergehen«. Sed de hac quaestione, cum *μὴ οὐ* non

ita usurpatum sit, (certis enim exemplis id probari non posse postea videbimus) omnia singula proferre hic locus non esse videtur.

Jam igitur cum ea, quae in universum ad quaestionem nostram recte tractandam exponenda videbantur, absoluta sint, singula accuratius inspiciamus. Ac primum ea exempla, in quibus *μὴ οὐ* cum modis finitis quos vocant conjunctum exstat, dispiciamus. Quam totam rem cum et notissima explicatuque facillima sit neque propriam illam Graeci sermonis in particularum *μὴ οὐ* usu rationem exhibeat, paucis absolvemus. Primum igitur particulas *μὴ οὐ* cum conjunctivo conjunctas invenimus, cujus rei ipse Homerus testis est, qui in Iliadis libro primo, versu 28 dicat:

μή νύ τοι οὐ χραίσμῃ σκῆπτρον καὶ στέμμα θεοῖο.

Sine dubio ii errant, qui putant hic particulas *μὴ οὐ* leniorem negationem exprimere, velut Baeumleinius (»Untersuchungen über die griechischen Partikeln« pag. 312) ac vertunt: »ob dir dann nicht unnütz sei«, vel »nicht nützt dir dann wohl«, cum omnino talia enuntiata prohibitivam vim habeant, ita ut vertere debeamus illa Homeri verba: »ne tibi inutile sit sceptrum dei« (scil. si iterum venies). Neque minus ii errare videntur, qui in ejusmodi enuntiatis semper aliquod verbum cavendi notionem complectens animo addendum existimant. Nam iis ipsis locis, ubi talia verba praecedunt, conjunctivos non revera pendere ex iis supra demonstravimus. Ex immensa exemplorum multitudine pauca tantum afferre possum. Plato in Men. pag. 89, D dicit: *ἀπιστεῖς μὴ οὐκ ἐπιστήμη ᾖ ἡ ἀρετή;* »du zweifelst, ob nicht die Tugend eine Wissenschaft sei«, vel »dass die Tugend nur ja *nicht nicht* Wissenschaft ist», »dass sie nur ja Wissenschaft ist«, nam is, qui de illa re dubitat, animo ita est affectus, ut cupiat probari virtutem esse scientiam. Xenoph. in Cyrop. I, 1, 3 *ἐκ τούτου δὲ ἠναγκαζόμεθα μετανοεῖν μὴ οὔτε τῶν ἀδυνάτων οὔτε τῶν χαλεπῶν ἔργων ᾖ τὸ ἀνθρώπων ἄρχειν*, quae verba planiora fiunt, si ea sic componimus: *μὴ τῶν τε δυνατῶν καὶ τῶν ῥᾳδίων ᾖ τὸ ἀνθρώπων ἄρχειν*: antea enim eam sententiam habuit Xenophon, non esse facile homines regere, quam jam mutare cogitur. Saepissime deinde post verba, quae metuendi vel cavendi vel etiam similem notionem habent, *μὴ οὐ* conjunctivo additur, ut exemplum afferam. Euripid. Electra v. 568:

πάλαι δέδοικα μὴ σύγ' οὐκ ἔτ' εὐφρονῇς.

»längst schon hege ich Furcht: dass du mir nur ja nicht schlechte (nicht gute) Absichten hegst«, ubi Romani et ipsi *ne non* vel *ut* usurpant, unde apparet vere haec enuntiata finalia esse neque pendere ex verbis illis metuendi aliisque.

Nonnunquam Graeci in talibus enuntiatis particulas finales cumulaverunt, cum voces *ὅπως μὴ οὐ* (quasi latine dicamus: ut ne non) ponerent, velut apud Thucydidem III, 57 legimus: *εἰ δὲ περὶ ἡμῶν γνώσεσθε μὴ τὰ εἰκότα, ὁρᾶτε ὅπως μὴ οὐκ ἀποδέξονται ἀνδρῶν ἀγαθῶν περὶ αὐτοὺς ἀμείνους ὄντας ἀπρεπές τι ἐπιγνῶναι.* Quoniam ejusmodi enuntiata revera ex verbis praecedentibus non pendere apparet, operae pretium non est hic verba illa metuendi et quae similia sunt colligere. Plerumque altera negatio a priore sejungitur, ita ut ad singulam vocem referenda sit, sicut in Plat. Phaed. 70, A: *τὰ δὲ περὶ τῆς ψυχῆς πολλὴν ἀπιστίαν παρέχει τοῖς ἀνθρώποις μὴ ἐπειδὰν ἀπαλλαγῇ τοῦ σώματος, οὐδαμοῦ ἔτι ᾖ, ἀλλ' — διαφθείρηται.* In universum Platonem hanc formam enuntiatorum vehementer amare ex magno exemplorum numero colligi potest.

Deinde cum optativo *μὴ οὐ* conjungitur, sicuti apud Xenophontem in Anabasi III, 1, 12: *πῇ δὲ καὶ ἐφοβεῖτο μὴ οὐ δύναιτο ἐκ τῆς χώρας ἐξελθεῖν*, et alia multa. Aliquanto difficilior in iis enuntiatis videtur res esse, in quibus indicativus exstat cum particulis *μὴ οὐ* conjunctus, cujus imprimis Platonis scripta magnam exemplorum copiam praebent, quorum unum tantum proferam: Men. 89, C: *ἀλλὰ μὴ τοῦτο οὐ καλῶς ὡμολογήσαμεν*, ubi non recte Stallbaumius interrogationem statuere videtur, nam indicativus bene explicari potest, quippe qui rem certius definiat. Simillimus est usus particulae *μὴ* in asseveratione

negativa, velut in Aristoph. Ecclesiaz. v. 999: *μὴ 'γωὀ ἀφήσω*, et in Homeri Iliade, libro X, v. 330: *ἴστω νῦν Ζεὺς μὴ μὲν τοῖς ἵπποισιν ἀνὴρ ἐποχήσεται ἄλλος* e. q. s. aliaque multa. Qui indicativi usus apud Platonem satis frequens est, neque recte nonnulli viri docti fecisse videntur, qui indicativum locis quibusdam tollere studuerunt, sicuti in Aristotelis libro de Republ. II, cap. 5: *μὴ γὰρ οὐ μάτην ἔχει τὴν φιλίαν ἕκαστος*. Sed haec hactenus.

Jam ad gravissimam atque difficillimam partem quaestionis nostrae pervenimus, quae est de particulis *μὴ οὐ* cum infinitivo et participio conjunctis. Atque primum in infinitivum, cujus usus maximam varietatem exhibet, inquiramus.

Quae tota quaestio per se in duas partes dividitur; altera ea exempla complectitur, in quibus *μὴ οὐ*, cum nostra lingua neutram harum particularum exprimere possimus, omnino supervacaneum videtur esse, altera ea, in quibus alteram negationem germanice vertimus. Quam distinctionem, si naturam enuntiatorum accuratius contemplamur, in externa sola specie positam esse jam ex iis, quae supra disseruimus, elucet; sed ut res facilior fiat ad perspiciendum, hic eam servare optimo jure nobis licebit.

Primum igitur ea verba accuratius tractabimus, quae particulas *μὴ οὐ* infinitivo sequenti ita annectunt, ut nostra lingua neutram earum exprimere possimus. Huc omnia ea verba referenda videntur, quae negativam notionem continent, vel quod eodem redit, negativum finem exprimunt. Infinitivos, qui cum his verbis conjunguntur, non revera ex iis pendere jam supra demonstravimus, quadecausa infinitivis plerumque particula *μὴ* additur, velut *ἀρνοῦμαι μὴ δρᾶσαι*, id quod nonnulli homines docti ita explicant, ut mente addi jubeant *καὶ λέγω* (contendo), ex quo pendeat infinitivus. Quae particula si additur, negativus ille finis majore cum vi exprimitur, quam si nude infinitivus ponitur. Cum igitur post haec verba negationem infinitivo additam omnino propriam suam notionem tenere appareat, illud quoque per se intelligitur, quod Graeci, ubi ea

verba ipsa negatione instructa proferebant, infinitivo particulas *μὴ οὐ* adjungebant; omnino enim invicem eas se tollere ac gravissimam affirmationem exprimere dubium non est. Itaque si Graeci dicunt: *οὐκ ἀρνοῦμαι μὴ οὐ δρᾶσαι*, summa vi affirmant, se fecisse neque id negare velle; sin autem, quod et ipsum saepe occurrit, solum *μὴ* infinitivo addunt, ita ut dicant: *οὐκ ἀρνοῦμαι μὴ δρᾶσαι*, non tam factum ipsum confitentur, quam exprimunt se rem negare nolle (se dicere nolle *non* se fecisse illud). Praeter has duas rationes ita quoque ejusmodi enuntiata Graeci componere possunt, ut negationem nullam infinitivo apponant (*οὐκ ἀρνοῦμαι δρᾶσαι*). Quae tres rationes cum non multum inter se differant (nam sola vi ac gravitate diversae sunt) plerumque in veterum libris commutantur, ita ut scriptores graeci saepe eam, quae praecipue iis placebat, ceteris praeposuerint et magis in usum vocaverint. Id unum mihi monendum videtur, nonnunquam fieri posse, ut sola particula *μὴ* locum habeat, neque poni possit *μὴ οὐ*, exempli gratia in Sophoclis Antig. v. 442:

καὶ φημὶ δρᾶσαι κοὐκ ἀπαρνοῦμαι τὸ μή, quo loco non potuit poeta scribere *μὴ οὐ*, quoniam oppositio inter est inter verba *καὶ φημὶ δρᾶσαι* et *οὐκ ἀπαρνοῦμαι* quoniamque in posteriore membro oppositionis notio desideratur quae est: »und nicht läugne ich es, (sagend) ich hätte es *nicht* gethan« (*τὸ μή*): si scripsisset poeta *τὸ μὴ οὐ*, sententia esset haec: »und nicht läugne ich es; durchaus habe ich es gethan (sage ich)«, ubi non servaretur oppositio. Similis est locus in Sophoclis Ajace, v. 96, ubi exstat *κόμπος πάρεστι κοὐκ ἀπαρνοῦμαι τὸ μή*, ubi verba *κοὐκ ἀπαρνοῦμαι τὸ μή* negativam tantum notionem exprimunt: »non nego (ajens) me hoc *non* fecisse«, non affirmativam, quae inest in verbis *τὸ μὴ οὐ* (ich gestehe es durchaus zu). Jam ad singula accedamus.

1. Verba *negandi* et *infitiandi*. Huc referenda sunt verba graeca haecce: *ἀρνοῦμαι*, *ἄπαρνός εἰμι*, *ἀμφισβητέω*. Videas, quod Plato in Gorg. pag. 461 dicit: *ἐπεὶ τίνα οἴει ἀπαρνήσεσθαι*

μὴ οὐχὶ καὶ αὐτὸν ἐπίστασθαι τὰ δίκαια καὶ ἄλλους διδάξειν; ubi interrogatio negativam vim continet. Paullo post (pag. 461, B) Plato dicit: *ἢ οἴει, Γοργίας ᾐσχύνθη σοι μὴ προςομολογῆσαι τὸν ῥητορικὸν ἄνδρα μὴ οὐχὶ καὶ τὰ δίκαια εἰδέναι* e. q. s., ubi quae antea statuimus exstant, cum verbo quod est *αἰσχύνεσθαι*, negativa notio insit et vox *μὴ προςομολογῆσαι* eodem redeat ac verbum *ἀρνεῖσθαι*. Omnia quae inveniuntur exempla neque hic neque postea afferre mihi in animo est, quoniam facile ex Gayleri, Wentzelii, Madvigii aliorumque libris congeri possunt.

II. Verba *celandi*, velut *κρύπτω, ἀποκρύπτομαι*. Xenoph. Hellen. III, 3, 6: *ὅπου γὰρ ἐν τούτοις τις λόγος γένοιτο περὶ Σπαρτιατῶν οὐδένα δύνασθαι κρύπτειν τὸ μὴ οὐχ ἡδέως καὶ ὠμῶν ἐσθίειν αὐτῶν*. Quod ad articulum attinet, eum non verum objectum quod dicunt significare jam supra demonstravimus.

III. Verba notionem vel verbis vel factis *repugnandi* continentia: *ἐναντιοῦμαι, ἀντιλέγω, ἀντιγνωμονέω, ἄλλως οἴομαι, ἀπιστέω* similiaque. Xenoph. Sympos. III, 3: *ἀλλ' οὐδείς σοι ἔφη, ἀντιλέγει τὸ μὴ οὐ λέξειν ὅτι ἕκαστος ἡγεῖται πλείστου ἄξιον ἐπίστασθαι*, »sed nemo tibi repugnat in eo quod dicis, eloqui debere quemque« e. q. s. Apparet in omnibus his enuntiatis infinitivo, ubi *μὴ οὐ* ei additum est, id significari, cui repugnari non potest, non autem infinitivo tanquam objecto, *quod* contra dicitur, exprimi. Xenoph. de vectigalibus III, 7: *οὐ μέντοι δύςελπίς εἰμι τὸ μὴ οὐχὶ προθύμως ἂν τοὺς πολίτας εἰς τὰ τοιαῦτα εἰςφέρειν*: hic manifestum videtur esse articulo non objecti instar infinitivum annecti sed quasi in unum comprehendi. Hic Herodoteus quoque locus explicandus est VIII, 119: *ἐν μυρίῃσι γνώμῃσι μίαν οὐκ ἔχω ἀντίξοον μὴ οὐκ ἂν ποιῆσαι βασιλῆα τοιόνδε*: »neque una sententia id impugnet regem omnino hoc facturum fuisse«. Herodotus contendit regem sine dubio id (quod postea narrat) facturum fuisse, quod omnino negari non posse affirmat.

IV. Latissime patet particularum *μὴ οὐ* usus post verba *arcendi, abstinendi, vetandi, fugiendi* multaque similia, e quibus usitatissima apud Graecos haec sunt: *εἴργω, ἴσχω, κωλύω, ἀπέχομαι, ἐμποδών εἰμι, ἀποτρέπω, ἐκφεύγω*. Herod. VIII, 98: *τοὺς οὔτε νιφετὸς, οὐκ ὄμβρος, οὐ καῦμα, οὐ νὺξ ἔργει μὴ οὐ κατανύσαι τὸν προκείμενον ἑαυτῷ δρόμον*: »quos non *arcent* nives e. q. s. — *quin* cursum conficiant«: *μὴ οὐ* additum est infinitivo ad rem cum gravitate ac vi affirmandam: »nichts hält sie ab, ihren Lauf durchaus rasch zu vollenden«: si Herodotus addidisset solum *μὴ*, hoc significaret: nihil eos abstinet, *quominus* (vel ne) cursum celerrime conficiant, quo in enuntiato non illa affirmativa, sed negativa sola vis inest. Xenoph. An. III, 1, 13: *τί ἐμποδὼν μὴ οὐχὶ πάντα μὲν τὰ χαλεπώτατα ἐπιδόντας, πάντα δὲ τὰ δεινότατα παθόντας ὑβριζομένους ἀποθανεῖν*: »Quid obstat *quin* — moriamur?« i. e. omnino moriendum nobis est. Interdum *ὥστε* infinitivo adjungitur, veluti apud Herodotum VIII, 57: *καὶ οὔτε σφέας Εὐρυβιάδης κατέχειν δυνήσεται, οὔτε τις ἀνθρώπων ἄλλος, ὥστε μὴ οὐ διασκεδασθῆναι τὴν στρατιάν*, id quod nonnullos homines doctos permovit, ut in omnibus talibus enuntiatis verbum *ὥστε* mente addendum esse statuerent, sed mea sententia non recte, quoniam *ὥστε* etiam nude ponitur, sine negatione, velut in Xen. Hellen. VII, 2, 13: *ὥστε τὴν σύντομον — ἀφικέσθαι ἡ τοῦ τείχους φάραγξ εἶργεν*, quadecausa conjunctio *ὥστε* hic non consecutivam quam dicunt vim habere sed magis adverbialiter posita esse videtur, ita ut significet »quod attinet ad«, id quod indoli atque origini hujus particulae optime convenit. Naturam enuntiatorum, qualem in universum eam supra descripsimus, luculenter hoc exemplum illustrat: Aristoph. Acharn. 320: *εἰπέ μοι τί φειδόμεσθα τῶν λίθων μὴ οὐ καταξαίνειν τοῦτον ἐς φοινικίδα*: quod si contemplamur, non in dubio relinquitur, quin ejusmodi enuntiata absolute (ut hoc verbo utar) posita sint. Non enim ille infinitivus pendere potest e verbo *φειδόμεσθα*, itaque duo enuntiata sejuncta exstant, sicut nos dicimus: »warum schonen

wir der Steine? Sollen wir nicht diesen Mann ganz zu einem Purpurkleide zerschlagen?« Conferas illud Livianum: »quin conscendimus equos?» similiaque.

Quae de articulo supra monuimus, maxime in haec verba cadunt, quibus saepissime *τὸ* additur, non apud poetas tantum sed etiam apud pedestris sermonis scriptores, velut in Plat. Republ. I, 354 B *οὐκ ἀπεσχόμην τὸ μὴ οὐκ ἐπὶ τοῦτο ἐλθεῖν*. Genetivus articuli rarissime invenitur neque unquam *μὴ οὐ* cum eo conjunctum exstat, sed aut *μὴ* aut nudus infinitivus usurpatur atque ita haec res comparata est, ut etiam in paucis iis locis, ubi *τοῦ μὴ* occurrit, codices valde fluctuent, velut in Xenoph. Anab. I, 3, 2 et ibid. IV, 8, 14; Plat. Apol. 38, D. Cum igitur plerumque graeci scriptores etiam post ea verba, e quibus saepissime genetivi pendent, illi genetivi formae accusativum articuli anteposuerint, apertum videtur esse, eos proprietatem ac naturam horum enuntiatorum bene perspexisse atque, quae supra de hac articuli forma disputavimus, satis hac re probantur. (Vide Xen. Anab. III, 5, 11: *ὁ γὰρ ἀσκὸς δύο ἄνδρας ἕξει τοῦ μὴ καταδῦναι* [*ne* submergantur] *ὥστε δὲ μὴ ὀλισθάνειν ἡ ὕλη καὶ γῆ σχήσει*).

Huc non esse referenda verba *liberandi*, *servandi*, alia Kühnerus (in gram. graeca majore II, 762 fin.) non recte contendere videtur; exprimunt enim non minus quam cetera, de quibus diximus, finem negativum, quadecausa infinitivo *μὴ* et *μὴ οὐ* adduntur, sicuti apud Herodotum VIII, 100: *οὐ γάρ ἐστι Ἕλλησιν οὐδεμία ἔκδυσις μὴ οὐ δόντας λόγον τῶν ἐποίησαν νῦν τε καὶ πρότερον εἶναι σοὺς δούλους* (*οὐδεμία ἔκδυσις* idem est ac liberari non possunt).

V. Verba *cessandi*, *egendi*, *desinendi* similia, sicut: *μέλλω*, *παύω*, *ἐλλείπω*, *παρίημι*, *λείπω*, *ἐνδέω*, *ἀπείρων εἰμί*. Soph. Oed. Tyr. 1231:

λείπει μὲν οὐδ' ἃ πρόσθεν ᾔδειμεν τὸ μὴ οὐ βαρύστον' εἶναι.

— Euripid. Troad. 792: *τί ἐνδέομεν μὴ οὐ πανσυδίᾳ χωρεῖν ὀλέθρου διὰ παντός;* Aeschyl. Prometh. 627: *τί δῆτα μέλλεις*

μὴ οὐ γεγωνίσκειν τὸ πᾶν; quod bene in latino sermone duobus enuntiatis exprimitur: curnam cunctaris? Quin omnia enarras? Soph. Oed. Tyr. v. 278: *μὴ παρῇς τὸ μὴ οὐ φράσαι*: ne praetermittas quin dicas. Herod. VI, 88: *Ἀθηναῖοι δὲ παθόντες ταῦτα πρὸς Αἰγινητέων, οὐκ ἔτι ἀνεβάλλοντο μὴ οὐχὶ τὸ πᾶν μηχανήσασθαι ἐπ' Αἰγινήτῃσι.* Ad similitudinem verborum, quae arcendi notionem continent, comparata est res in verbis *ἀτιμάζειν* et *μισεῖν*: cf. Soph. Antig. 544: *μή τοι κασιγνήτη μ' ἀτιμάσῃς τὸ μὴ οὐ θανεῖν τε σὺν σοί* e. q. s., ubi particulae *τε-τε* ostendunt enuntiatum esse affirmativum, non negativum. Dignissimus qui memoretur locus Luciani est, qui exstat in Alex. seu Pseudamant. cap. 15: *ἁπάντων τοὺς ἐγκεφάλους καὶ τὰς καρδίας προεξῃρημένων οὐδὲν εἰκότων σιταφάγοις ἀνδράσιν ἀλλὰ μόνῃ τῇ μορφῇ μὴ οὐχὶ πρόβατα εἶναι διαφερόντων*, ubi *μὴ οὐχὶ* gravem affirmationem exprimit: »durchaus Vieh zu sein«. Negatio praecedentis verbi in sententia inest, quum enuntiata sic comparata sint: *οὐδὲν εἰκότων σιτοφάγοις ἀνδράσιν ἀλλ' οὐ διαφερόντων μὴ οὐχὶ πρόβατα εἶναι, μόνῃ τῇ μορφῇ* i. e. *πλὴν τῇ μορφῇ*. — Huc locum quendam Xenophontis falso a Wentzelio referri video: exstat in libro de republ. Atheniens. III, 8: *πολὺ δὲ οὐχ οἷόν τε μετακινεῖν ὥστε μὴ οὐχὶ τῆς δημοκρατίας ἀφαιρεῖν τι.* Nam hic particulae infinitivo adjunctae ad verbum *οὐχ οἷόν τε* pertinent: »si enim multa mutantur, fieri non potest quin populi imperium minuatur«.

Jam ad ea verba transeamus, quae nonnunquam, si negatione instructa sunt efficiunt, ut infinitivo sequenti *μὴ οὐ* addatur ita, ut nos unam solum negationem exprimere possimus. Quae res in ipsa horum verborum natura posita est, cum inter haec et illa, de quibus supra disputavimus, ea intercedat differentia, ut illa semper eo spectent, *ne* fiat aliquid, haec autem affirmativam vim habeant. Itaque infinitivis ex ejusmodi verbis pendentibus negativa particula ita tantum addi potest, ut nostro quoque sermone eam reddamus. Exempli gratia quod nos dicimus: »ich überrede dich zu gehen« Graeci non possunt reddere

nisi ita: *πείθω σε ἰέναι*, unde apparet, si infinitivo adjungunt particulam *μή*, eam semper in versione retinendam esse: *πείθω σε μὴ ἰέναι* ich überrede dich, nicht zu gehen. Si autem haec verba ipsa negationem accipiunt, duae existunt rationes infinitivi adjungendi. Aut dicebant Graeci *οὐ πείθω σε μὴ ἰέναι*, aut *οὐ πείθω σε μὴ οὐκ ἰέναι*, quae duae formae ita distinguendae sunt, ut altera significetur non velle aliquem, quominus eat, persuadendo impedire, alteri magis affirmativa vel adhortativa quaedam vis insit, sicut nos dicimus: »ich will dich nicht überreden (scil. zu Andern), nein! gehe nur!« Hujus quoque enuntiatorum generis sejunctionem quandam atque oppositionem membrorum propriam esse facile apparet, neque dubium esse potest, majorem gravitatem atque alacritatem sermoni hoc modo afferri, quam si infinitivus arctius cum verbo connectitur. Saepissime sic *μὴ οὐ* infinitivo additur:

I. Post verba *suadendi*, velut *πείθω, μεθαπείθω, πείθομαι, συγχωρέω*, cf. Soph. Oed. Tyr. 1065: *οὐκ ἂν πιθοίμην μὴ οὐ τάδ' ἐκμαθεῖν σαφῶς;* quo loco verba *οὐκ ἂν πιθοίμην* ad ea spectant, quae in versu antecedente Jocasta dixit:

ὅμως πιθοῦ μοι, λίσσομαι, μὴ δρᾶ τάδε,

ita ut verba, quae sunt *μὴ οὐ τάδ' ἐκμαθεῖν σαφῶς* graviter illis opponantur fere sic: »nicht lass' ich mich bestimmen (dieses nicht zu thun *μὴ δρᾶν τάδε*), nein, durchaus will ich es genau erforschen«. Articulus additus est apud Xenophontem, Hell. V, 2, 36: *οὐ μέντοι ἔπειθέ γε τὸ μὴ οὐ μεγαλοπράγμων τε καὶ κακοπράγμων εἶναι*, quod nos sic fere reddere possumus: nicht jedoch benahm er ihnen die Ueberzeugung, dass er durchaus sehr schädlich sei. Huc etiam verbum *τέγγομαι* referendum est, cum idem significet quod nostrum: ich lasse mich erweichen (h. e. bestimmen), vid. Plat. de legib. IX, pag. 880: *οἱ δὲ* (scil. *νόμοι*) *τῶν τὴν παιδείαν διαφυγόντων ἀτεράμονι χρωμένων καὶ φύσει καὶ μηδὲν τεγχθέντων ὥστε μὴ οὐκ ἐπὶ πᾶσαν ἰέναι κάκην*. Plat. Phaedr. 88, A: *δοὺς δὲ ταῦτα εἰ ἐκεῖνο μηκέτι συγχωροίη μὴ οὐ πονεῖν αὐτὴν ἐν ταῖς πολλαῖς γενέσεσι καὶ τελευτῶσάν γε ἔν τινι τῶν θανάτων παντάπασιν ἀπόλλυσθαι.* Ex iis, quae sequuntur,

aperte elucet, Cebetem hic maxima gravitate contendere animam omnino damnum accipere atque postremo exstingui.

Male ad hanc partem Wentzelius locum ex Aristoph. Ran. v. 694 petitum refert, ubi dicit poeta: *κοὐδὲ ταῦτ' ἔχοιμ' ἂν μὴ οὐ καλῶς φάσκειν ἔχειν*, quod prorsus idem est ac verbum *οὐ δύναμαι* (*φάσκειν*), atque haec verba ita fere vertenda sunt: »und nicht könnte ich anders als zugestehen (*φάσκειν*), dass sich dieses schön verhält.« Constructio igitur haec est: *κοὐδὲ ἔχοιμ' ἂν μὴ οὐ φάσκειν τοῦτο καλῶς ἔχειν.*

II. Verba *patiendi, ferendi* atque similia, sicut *πάσχω, ἀνέχομαι, φέρω*. Soph. Antig. v. 96:

πείσομαι γὰρ οὐ
τοσοῦτον οὐδὲν ὥστε μὴ οὐ καλῶς θανεῖν.

Non enim tantum malum patiar, ut non praeclare moriar, vel: non enim me mala, quamvis sint magna, prohibebunt *quin* praeclare moriar. Aeschyl. Eumen. 902:

οὐκ ἀνέξομαι τὸ μὴ οὐ
τήνδ' ἀστύνικον ἐν βροτοῖς τιμᾶν πόλιν.

»Nicht werde ich es ertragen, diese Stadt anders als sieggekrönt zu sehen«, sicut Romani quoque dicunt: non possum retineri *quin* hanc urbem — videam. Nam illud *οὐκ ἀνέχομαι* ei quod est retineri non possum vel temperare mihi non possum simillimum est. Lucian. dial. meretric. XII, 3: *οὐ γὰρ ἔφερον μὴ οὐ συνεῖναι αὐτῇ*, quod aptissime nostro sermone sic reddere possumus: »denn nicht ertrüg' ich's, ich müsste denn mit ihr zusammensein«; quomodo si enuntiata construimus, sejunctionem illam graecae constructionis exprimimus.

III. Verba *vituperandi* et *accusandi*: *μέμφομαι, αἰτιῶμαι* et alia. Xenoph. Cyrop. VII, 5, 42: *τοῖς μὲν θεοῖς οὐδὲν ἂν ἔχοιμεν μέμψασθαι τὸ μὴ οὐχὶ μέχρι τοῦδε πάντα, ὅσα εὐχόμεθα, καταπεπραχέναι*, ubi infinitivus non objecti vice fungitur sed omnino sejungendus est a verbo *μέμψασθαι*, cum ex hoc verbo *οὐδὲν* pendeat. Similiter quasi epexegetice infinitivum in his Platonis verbis positum videmus, in Lach. 189, C: *οὐ τὰ*

ὑμέτερα ὡς ἔοικεν αἰτιασόμεθα μὴ οὐχ ἕτοιμα εἶναι καὶ συμβουλεύειν καὶ συσκοπεῖν.

IV. Verbum *ἐκπλήττομαι*, quod apud Xenophontem ita cum infinitivo conjunctum exstat in Cyrop. V, 2, 17: *ἐπ' οὐδενὶ γὰρ βρώματι οὐδὲ πόματι Πέρσης ἀνὴρ τῶν πεπαιδευμένων οὔτ' ἂν ὄμμασιν ἐκπεπληγμένος καταφανὴς γένοιτο οὔτε ἁρπαγῇ οὔτε τῷ νῷ μὴ οὐχὶ προνοεῖν ἅπερ ἂν καὶ μὴ ἐν σίτῳ ὤν*, ubi infinitivum non e verbo quod est *ἐκπεπληγμένοι* pendere sed leviter postea quasi adjunctum esse apparet.

V. Verbum *σημαίνειν*. Aristoph. Lysistr. 1200:

καὶ μηδὲν οὕτως
εὖ σεσημάνθαι τὸ μὴ οὐχὶ τοὺς ῥύπους ἀνασπάσαι,

qui locus et ipse docet quam laxis vinculis tales infinitivi verbis praecedentibus adjuncti sint.

VI. Latissime patet usus particularum *μὴ οὐ* post ea verba, quae *fieri aliquid posse* significant, quorum haec memoratu dignissima affero: *δύναμαι, δυνατόν ἐστιν, οἷόν τ' ἐστιν, μηχανή ἐστιν, ἔστιν, ἐγχωρεῖ, ῥᾴδιόν ἐστιν* et alia multa. Exempla fere innumera occurrunt in Graecorum scriptis, quorum hic ea tantum afferam, quae notabilia videntur. Xenophon. Apolog. Socrat. 34: *ἐγὼ μὲν δὴ κατανοῶν τοῦ ἀνδρὸς τήν τε σοφίαν καὶ τὴν γενναιότητα· οὔτε μὴ μεμνῆσθαι δύναμαι αὐτοῦ οὔτε μεμνημένος μὴ οὐκ ἐπαινεῖν*, qui locus ob id ipsum memorabilis videtur, quod duo infinitivi exstant, quorum alteri *μὴ* alteri *μὴ οὐ* additum est: ille igitur id solum significat, eum hominis *oblivisci* non posse, hic autem magis exprimit unam solamque eam condicionem dari, ut hominem laudet. Itaque ego verterim haec verba: »und des Mannes Weisheit bemerkend, muss ich mich seiner erinnern und seiner mich erinnernd kann ich nicht anders als ihn loben.« Plato Gorg. 509, A: *οὐδεὶς οἷός τ' ἐστιν ἄλλως λέγων μὴ οὐ καταγέλαστος εἶναι*: »nemo facere potest, *quin* ridiculus sit«, sicut nos dicimus: »keiner kann umhin, er muss lächerlich werden«. Omnium horum verborum constructio in latino sermone graecae rationi dicendi simillima

est atque eadem differentia inter graeca enuntiata quae sunt: *οὐ δύναμαι μὴ ἐπαινεῖν αὐτὸν* et *οὐ δύναμαι μὴ οὐκ ἐπαινεῖν αὐτὸν* et latina quae sunt: non possum facere ut eum non laudem (cf. Cicer. de fin. I, 8, 27) et facere non possum quin eum laudem. Tota hujusmodi enuntiatorum vis in ea ipsa re inest, quod infinitivus nullo constructionis vinculo cum verbis praecedentibus conjunctus per se ponitur, quare non ad talia artificia confugiendum est, qualia Wentzelius composuit, cum doceret enuntiatum quod est *οὐ δύναμαι μὴ οὐκ ἐπαινεῖν* sic comparatum esse, ut integra ejus species esset haec: *οὐ δύναμαι μὴ ἐπαινεῖν (ὥστε) μὴ οὐκ ἐπαινεῖν*. Thucyd. VIII, 60: *ἐπὶ γὰρ τῇ Ἐρετρίᾳ τὸ χωρίον ὂν ἀδύνατα ἦν Ἀθηναίων ἐχόντων μὴ οὐ μεγάλα βλάπτειν καὶ Ἐρετρίαν καὶ τὴν ἄλλην Εὔβοιαν*: fieri non potuit quin — noceret, i. e. so war es gar nicht anders möglich, er *musste* schaden. Ceterum cum sententia in universum eadem sit, sive *μὴ οὐ* sive *μὴ* infinitivo additur, cumque omnino in arbitrio scriptoris plerumque positum sit, utrum majorem vim enuntiato injicere velit necne, mirum esse non potest, quod apud optimos scriptores omnino ea quam tractamus ratio praelata est, id quod in latino quoque sermone accidit, quippe qui fere semper illam fortiorem formam exhibeat.

VII. Denique infinitivo particulae *μὴ οὐ* addi solent post nonnullas voces, quae significant aliquid fieri non posse propter naturae vel officiorum impedimenta, veluti haece: *αἰσχρόν ἐστιν, αἰσχύνη ἐστίν, οὐ δίκαιον, οὐκ εἰκός, οὐκ ἀνεκτόν ἐστιν, ἄνοια, ἄλογον, μωρία ἐστὶν, δεινόν ἐστιν*. Haec verba omnino ad similitudinem eorum, quae modo commemoravimus, constructa sunt, cum quod ad sententiam attinet eodem redeant quo verbum *οὐ δυνατόν ἐστιν*. Quare pauca exempla afferre satis habeo. Xenoph. Anab. II, 3, 11: *ὥστε πᾶσιν αἰσχύνην εἶναι μὴ οὐ συσπουδάζειν*, »so dass alle sich schämen mussten, es sei denn sie arbeiteten mit« (scil. dann brauchten sie sich nicht zu schämen), quibus verbis gravissime id premitur, eos propter pudorem facere non potuisse quin eum adjuvarent. Plato de legib. X, pag. 891:

διὰ ταῦτα λόγον οὐδαμῇ ἔχει οὐδ᾽ ὅσιον ἔμοιγε εἶναι φαίνεται τὸ μὴ οὐ βοηθεῖν τούτοις τοῖς λόγοις πάντα ἄνδρα κατὰ δύναμιν. Xenoph. Respubl. Laced. VI. 2: ἢν δέ τις παῖς ποτὲ πληγὰς λαβὼν ὑπ᾽ ἄλλου κατείπῃ πρὸς τὸν πατέρα, αἰσχρόν ἐστι μὴ οὐκ ἄλλας πληγὰς ἐμβάλλειν τῷ υἱεῖ, quae verba bene ita vertere possumus: »so handelt man unter jeder Bedingung schimpflich, es sei denn dass man seinen Sohn noch einmal züchtigte«. Plato Soph. 219, E: τήν γε μὴν θηρευτικὴν ἄλογον τὸ μὴ οὐ τέμνειν διχῇ. Plat. Sympos. 210, B: πολλὴ ἄνοια μὴ οὐχ ἕν τε καὶ ταὐτὸν ἡγεῖσθαι τὸ ἐπὶ πᾶσι τοῖς σώμασι κάλλος, es heisst durchaus unverständig sein, es sei denn dass man die Schönheit an allen Körpern für ein und dasselbe hielte. Herod. VIII, 126: οὐκ ἐδικαίεε ἐντυχὼν ἀπεστεῶσι Ποτιδαιήτῃσι μὴ οὐκ ἐξανδραποδίσασθαί σφεας: putavit, si juste facere vellet, se facere non posse quin eos in servitutem cogeret. Neque est causa cur in Xenoph. Cyrop. VIII, 4, 5 eos sequamur, qui οὐ omitti volunt: τὸν δὲ πρωτεύοντα ἐν ἕδρᾳ ᾐσχύνετο μὴ οὐ πλεῖστα καὶ ἀγαθὰ ἔχοντα παρ᾽ αὐτοῦ φαίνεσθαι. Uno loco Herodoti (I, 187) duorum infinitivorum priori μὴ, posteriori μὴ οὐ additum est: Δαρείῳ δὲ καὶ δεινὸν ἐδόκεε εἶναι τῇσι πύλῃσι ταύτῃσι μηδὲν χρέεσθαι καὶ χρημάτων κειμένων καὶ αὐτῶν τῶν χρημάτων ἐπικαλευμένων μὴ οὐ λαβεῖν αὐτά, qui locus simillimus est ei, quem ex Xenophontis Apologia Socratis § 34 supra attulimus.

Satis magnas difficultates hominibus doctis locus quidam Euripidis (Hippolyti versus 49 sq. sunt) praebuit, ubi codices fluctuant, nam secundum Kirchhoffium codd. A et E praebent τὸ μὴ οὐ παρασχεῖν, idemque codicis B prima manus, cum et secunda hujus codicis manus et codd. C a c d exhibeant τοῦ μὴ οὐ παρασχεῖν e. q. s. Totus locus hic est:

τὸ γὰρ τῆσδ᾽ οὐ προτιμήσω κακὸν
τὸ μὴ οὐ παρασχεῖν τοὺς ἐμοὺς ἐχθροὺς ἐμοὶ
δίκην τοσαύτην e. q. s.

Editores cum optimo jure illa conjunctione articuli cum infinitivo atque particulis μὴ οὐ offenderentur, scripserunt nisi

fallor plerique, optimos codices secuti τὸ μὴ οὐ παρασχεῖν. Hoc autem Madvigius (l. l. pag. 63) reprehendit et genetivum articuli ponendum putat assentiente Kühnero (in grammat. graeca majore II, pag. 771). Sententia sine dubio haec est: omnibus viribus efficere studebo, ut inimici mei poenas dent, etiamsi illa (scil. Phaedra) pereat. Potuit igitur poeta scribere: τὸ γὰρ τῆσδ᾽ οὐ προτιμήσω κακὸν τοῦ παρασχεῖν τοὺς ἐμοὺς ἐχθροὺς ἐμοὶ δίκην: non enim illius malum castigationi inimicorum meorum anteponam. Sed neque μὴ οὐ neque simplex μὴ ullo modo potest hic infinitivo addi, cum post verba affirmativam notionem continentia infinitivo ita tantum negationem adjungi posse supra vidimus, ut nostro sermone ea exprimatur, exempli gratia οὐ πείθω σε μὴ vel μὴ οὐ ποιεῖν τοῦτο (ich überrede dich nicht, das *nicht* zu thun); hoc igitur loco si cum Madvigio et Kühnero statueremus, particulas μὴ οὐ *simpliciter* sese invicem tollere (non ita ut in eis quae attuli exemplis cernitur), usus particularum μὴ οὐ omnino ab eo quem tractavimus diversus exsisteret. Deinde autem quod Madvigius contendit genetivum solum ad verbi προτιμᾶν usum quadrare cum recte se haberet, si infinitivo particulae μὴ οὐ additae non essent, hic minime aptum videtur ad ejus sententiam comprobandam. Omnino huic constructioni similis est ea, quam invenimus apud Sophoclem, in Antig. v. 544:

μήτοι κασιγνήτη μ᾽ ἀτιμάσῃς τὸ μὴ οὐ
θανεῖν τε σὺν σοὶ τὸν θανόντα θ᾽ ἁγνίσαι.

Immo si particularum μὴ οὐ usum reputamus, semper, ubi occurrit, laxiorem conjunctionem enuntiatorum statuere debemus (ut jam supra dixi), ita ut hoc quoque loco non possimus concedere infinitivum substantivi instar pendere ex verbo προτιμᾶν. Neque si lectionem illam, quae est τὸ μὴ οὐ παρασχεῖν tenemus, ulla offensio exsistit, cum προτιμᾶν bene sic absolute poni posse videatur, si alia similia scriptorum exempla contemplamur, velut illud quod in libro I, quem Plato scripsit de Republica, pag. 354, B exstat: οὐκ ἀπεσχόμην τὸ μὴ οὐκ ἐπὶ τοῦτο ἐλθεῖν

ἀπ᾽ ἐκείνου. Cum infinitivum sic solute ponat Euripides, illud gravissime premit, quod hic maximi momenti est, Venerem omnibus viribus inimicos suos punire studere. Vertere possumus hanc constructionem: »Denn nicht werde ich das Verderben jener vorziehen (scil. dem Verderben meiner Feinde), nein durchaus strafen will ich meine Feinde.« Itaque aeque bene illud dicere potuit Euripides atque hoc: *οὐ γάρ με τὸ τῆςδε κακὸν εἴργει τὸ μὴ οὐ παρασχεῖν τοὺς ἐμοὺς ἐχθροὺς ἐμοὶ δίκην*, neque quisquam scriptorum Graecorum dicit: *οὐ γάρ με εἴργει — τοῦ μὴ οὐ παρασχεῖν — δίκην.* Omnino hic Madvigii error inde exstitit, quod totum illum particularum *μὴ οὐ* usum negligentiae cuidam et inconstantiae linguae graecae ascribit, id quod equidem omnibus viribus impugnandum esse censeo. Nisi semper ex hac praejudicata opinione profectus esset vir doctissimus, certe non illa protulisset, quae pag. 64 sqq. contra usum articuli *τὸ* cum infinitivo disputavit.

Quod in tota hac dissertatione gravissime semper pressi, Graecos particulas *μὴ οὐ* ita tantum infinitivo addidisse, ut invicem sese tollerent gravissimamque affirmationem efficerent, cum jam ex iis, quae dixi, satis planum factum esse putem, tamen apertissimum hujus rei argumentum hic addere non abs re erit. *Nusquam* enim *μὴ οὐ* apud bonos scriptores infinitivo additum invenimus nisi negatione praecedente vel per sententiam indicata. Igitur exempli causa *μὴ οὐ* minime exstat, ubi sine negatione praecedit vel *εἴργω* vel *πείθω* vel quae sunt similia. Deinde autem post verbum *αἰσχρὸν*, si negatione instruitur, nusquam ponitur *μὴ οὐ*; exempli gratia apud Xenophontem in Memorab. Socrat. IV, 8, 9: *ἐμοὶ δὲ τί αἰσχρὸν* (scil. = *οὐκ αἰσχρὸν*) *τὸ ἑτέρους μὴ δύνασθαι περὶ ἐμοῦ τὰ δίκαια μήτε γνῶναι μήτε ποιῆσαι;* ubi *τί αἰσχρὸν* idem est atque *καλόν ἐστιν* vel certe affirmativam vim habet. Igitur sententia ipsa hujus loci impedit, quominus *μὴ οὐ* ponatur: »Für mich aber ist es nicht schimpflich, es sei denn, dass andere von mir nicht das Rechte denken hönnten (scil. das allein wäre schimpflich)«,

quae sententia omnino contraria esset ei, quam exprimere vult scriptor. Neque alia res est in Platonis Parmen. 147, A, ubi legitur: *εἰ δὲ μήτε ἑαυτοῖς ἕτερά ἐστι μήτε τῷ ἑτέρῳ οὐ πάντῃ ἂν ἤδη ἐκφύγοι τὸ μὴ ἕτερα εἶναι ἀλλήλων*; non enim revera verbum *ἐκφύγοι* negatum est, quare non potuit dici: *τὸ μὴ οὐχ ἕτερα εἶναι.* Verum non in eo possumus offendere, quod apud posterioris aetatis scriptores etiam nulla praegressa negatione *μὴ οὐ* infinitivo additum invenimus veluti saepius apud Arrianum, exempli gratia II, 27, 3: *τούτους μὲν ἔσχε τοῦ μὴ οὐκ αἰσχρᾷ φυγῇ ὠσθῆναι κατὰ τοῦ χώματος*, cf. IV, 23, 5: *ὁ γὰρ θώραξ ἔσχε τὸ μὴ οὐ διαμπὰξ διὰ τοῦ ὤμου ἐλθεῖν τὸ βέλος;* cf. IV, 8, 5 et quae sunt similia. Nam illis temporibus certe non jam in ea condicione erat lingua graeca, ut eae leges, quae priore aetate, fortasse ipsis scriptoribus insciis, vigebant, amplius servari possent.

Denique de particulis *μὴ οὐ* cum infinitivo conjunctis singularia quaedam afferenda sunt exempla, de quibus aliquomodo diversa sententia exsistere potest. Nam *μὴ οὐ* post verba *δέω, ἐνδέω, λείπω, ἐλλείπω*, si haec verba ipsa negatione instructa sunt, infinitivo adjungitur eo modo quem primum contemplati sumus, ita ut exempli gratia illud Euripideum (ex Troadum versu 792 sumptum) *τίνος ἐνδέομεν μὴ οὐ πανσυδίᾳ χωρεῖν ὀλέθρου διὰ παντός:* aeque comparatum sit atque *οὐκ εἴργω σε μὴ οὐκ εἰςελθεῖν* (cf. Xenoph. Hell. IV, 1, 36: *τίνος ἂν δέοιο μὴ οὐχὶ πάμπαν εὐδαίμων εἶναι*, quod latine exprimitur: »quid abest (h. e. nihil abest) *quin* omnino beatus sis?« Euripidis Iphig. Aul. 42: *καὶ τῶν ἀπόρων οὐδενὸς ἐνδεῖς μὴ οὐ μαίνεσθαι*). Quae res certe nihil offensionis praebet: sed *μὴ οὐ* uno Platonis loco sic usurpatum est, ut praecedens verbum *δεῖν* omnino negatione careat atque *μὴ οὐ* (sicut post verba *affirmativa οὐ πείθω, οὐ δύναμαι*) nostro sermone *negatione* reddatur. Dicit enim Plato in Euthyd. pag. 297, B: *πολλοῦ δέω μὴ οὐ δύο γε φεύγειν*: »multum abest ut *non* duos fugiam«, »es fehlt viel, dass ich beide *nicht* fliehe«. Qui locus cum primo

obtutu iis, quae de particularum *μὴ οὐ* usu post verba illa retinendi, prohibendi etc. statuimus, repugnare videatur (quoniam verbum praecedens *δέω* negationem non habet et *μὴ οὐ* nostro sermone negatione exprimendum est), tamen si accuratius rem reputamus, re vera hanc offensionem nullam esse intelligimus. Hoc enim loco Plato dicere vult, se omnino duos fugere coactum esse, i. e. facere se non posse, quin eos fugiat; quamobrem *πολλοῦ δέω* hic idem significat atque *οὐ δύναμαι* (facere non possum), sicut nostro quoque sermone si dicimus: ich bin weit davon entfernt etwas anderes zu thun als zu fliehen vel *nicht* fliehen zu müssen, eodem redit atque hoc: ich kann gar nicht anders als fliehen. Itaque *μὴ οὐ* post illud *πολλοῦ δέω* aeque bene dici potest ac post verba *αἰσχρόν, ἄλογον* aliaque sine negatione prolata.

Denique de particulis *μὴ οὐ* cum participio conjunctis pauca disserenda sunt. Atque me in universum cum Wentzelio consentire in hac quaestione explicanda supra jam dixi, ita ut gravissime id premendum existimem, vocem *μὴ οὐ* etiam cum participio conjunctam fortiorem affirmationem significare, vel quod eodem redit, particulas *μὴ* et *οὐ* semper invicem se tollere. Non autem artificiosam ejus explicationem probare me posse ibidem demonstravi.

Eadem fere res in conjunctione particularum *μὴ οὐ* cum participio videtur esse atque in constructionibus infinitivorum, de quibus supra disputavimus, ita ut differentiam nonnisi in modorum discrimine positam esse judicem. Itaque etiam in hac disputatione a laxiore illa enuntiatorum conjungendorum ratione proficiscendum est, quam in priore parte quaestionis nostrae explicationi subjecimus. Vidimus enim enuntiatum quod est *οὐκ εἴργω αὐτὸν μὴ οὐκ εἰσιέναι* ita comparatum esse, ut infinitivus a verbo *εἴργω* non arcte pendeat, sed solute positus sit eandemque illius enuntiati condicionem esse quam hujus latini: non prohibeo eum quin introeat, cum particulis *μὴ οὐ* et quin affirmativa vis insit. Itaque vertimus haec enuntiata:

ich hindere ihn nicht, möge er nur hineingehen, vel: ich hindere ihn nicht, warum sollte er nicht hineingehen (h. e. immo ut introeat libenter concedo). Discrimen autem inter haec enuntiatorum genera atque ea, in quibus simplex *μὴ* vel ne (quominus) exstat, id intercedere statuimus, ut in enuntiatis, quae sunt *οὐκ εἴργω αὐτὸν μὴ εἰσιέναι* et: non prohibeo eum ne introeat, *negativa* sola vis insit, (nicht hindere ich ihn, h. e. nicht will ich, dass er *nicht* hineingehe) cum in illis gravissima *affirmatio* agnoscenda sit. Jam si participia cum particulis *μὴ οὐ* conjuncta contemplamur atque cum iis comparamus, quibus solum *μὴ* adjectum est, eandem intercedere elucet differentiam. Nam, ut exemplo rem illustrem, in verbis, quae in Platonis Lys. pag. 212, D exstant: *οὐκ ἄρ' ἐστὶ φίλον τῷ φιλοῦντι μὴ οὐκ ἀντιφιλοῦν* ea vis inest, gratum id tantum esse posse, quod *redamet* amantem, vel quod idem est, ut aliquid gratum sit amanti, omnino id necessarium esse ut eum redamet. Elucet affirmativam esse participii cum *μὴ οὐ* conjuncti notionem, quoniam id exprimit, quod fieri debet, ut aliud fiat. Diversa autem sententia exsistit, si omissa particula *οὐ* scribimus: *οὐκ ἄρ' ἐστὶ φίλον τῷ φιλοῦντι μὴ ἀντιφιλοῦν*. Haec enim verba nihil aliud exprimere apparet quam hoc: nicht ist dem Liebenden etwas lieb, was ihn *nicht* wiederliebt, unde elucet negativam esse hujus enuntiati vim. Aptissime cum hoc Graecorum usu nostrae linguae rationem comparare possumus. Nonne enim eodem plane modo, quo illa, haec enuntiata germanica differunt: nicht ist dem Liebenden etwas lieb, es sei denn dass es ihn wiederliebe, et: nicht ist dem Liebenden etwas lieb, was ihn nicht wiederliebt. Illud enim si dicimus *affirmativam* habemus notionem, in posteriori autem enuntiato *negativa* vis inest, cum illis verbis id significetur, quod necessario fieri debet ut amor exsistat, his autem exprimatur, quid gratum *non* sit. Et in eo quoque nostra lingua cum graeca congruit, quod simillima est constructio verborum in utroque enuntiato. Nam si dicimus: nicht ist etwas dem Liebenden lieb, es sei denn dass es ihn

wiederliebe, animo addendum est: dann ist es ihm lieb; et graeca quoque verba: *οὐκ ἄρ' ἐστὶ φίλον τῷ φιλοῦντι μὴ οὐκ ἀντιφιλοῦν* ita comparata sunt, ut post participium mente addendum sit *φίλον ἐστὶ τῷ φιλοῦντι.* Videmus igitur linguam graecam teutonicamque in eo plane consentire, quod membra talium enuntiatorum non arte conjungunt, sed dirimunt, quod non ita fit in latino sermone, in quo enuntiata in universum magis logice conjungi notum est. Romani enim affirmativam illam vim ita expresserunt ut conjunctione *nisi* uterentur, cum negativam particula *si non* significarent. Dicebant igitur: non gratum est aliquid nisi amantem redamat (vel *nisi id quod* — redamat) et: non gratum est aliquid si amantem non redamat. Illi enuntiato eam ob causam affirmativa sententia inest, quod particulae *nisi* prior pars (ni —) ad enuntiatum praecedens referenda est, ita ut et negationes *non-ni* invicem se tollentes enuntiatum prius affirmativum reddant et posterius enuntiatum (si — redamat) affirmativum fiat. Apparet autem hanc structuram magis logicam atque, ut ita dicam, compactam esse graeca et germanica, quam si latinis verbis imitari vellemus, scribendum esset: non igitur aliquid gratum esse potest — *nonnisi* quod amantem redamat (scil. tum demum gratum est.

Ex iis, quae disputavimus, id quoque facile explicatur, quod *μὴ οὐ* cum participio ita tantum conjunctum invenitu, ut in enuntiato praecedente vel insit negatio vel sententia indicata sit. Nam non magis aptum esset, si diceretur: *τῷ φιλοῦντι φίλον ἐστὶν μὴ οὐκ ἀντιφιλοῦν* quam si nos diceremus: es ist etwas dem Liebenden lieb, es sei denn dass es ihn wiederliebte. Nam si ita loqueremur, mente addendum esset: dann ist es ihm *nicht* lieb, quod si fieret, omnino affirmativa illa vis exstingueretur, quam participiis cum *μὴ οὐ* conjunctis ubique inesse statuimus. Neque id difficultatem nobis praebet, quod nonnunquam non negativa particula ipsa praecedit, sed notione tantum indicatur, cum eodem modo haec enuntiata explicanda sint, quam ea, in quibus *αἰσχρὸν* vel simile aliquod verbum infinitivo particulis

μὴ οὐ instructo praecedit. — Jam exempla nonnulla ex graecis scriptoribus afferenda sunt. Herod. VIII, 110: *οὔκων δίκαιον εἶναι ἱστάναι ἔμπροσθε τῶν ἐκείνου ἀναθημάτων μὴ οὐκ ὑπερβαλλόμενον τοῖσι ἔργοισι*: »es sei nicht recht, sie vor jenes Mannes Weihgeschenke zu stellen, er müsste ihn denn an Thaten übertreffen (scil. nur dann sei es recht).« Herod. VI. 106: *εἰνάτῃ δὲ οὐκ ἔφασαν ἐξελεύσεσθαι μὴ οὐ πλήρεος ἐόντος τοῦ κύκλου*, cf. Herod. VI, 9. Polyb. XIII, 1: *τὸν αὐτὸν τρόπον οὐδὲ τὴν πρὸς τὸ πλεῖον ἐπιθυμίαν οἷόν τε κορέσαι μὴ οὐ τὴν ἐν τῇ ψυχῇ κακίαν λόγῳ τινὶ διορθωσάμενον.* Isocr. Encom. 217: *τοιαύτης δὲ τιμῆς τυχεῖν ὥστε θνητὸν ὄντα θεῶν γενέσθαι κριτήν, οὐχ οἷόν τε μὴ οὐ τὸν τῇ γνώμῃ πολὺ διαφέροντα*, qui locus optime sententiam nostram defendit. Nam si Isocrates simplex *μὴ* participio addidisset, articulus qui est *τὸν* omnino alio loco ei ponendus fuit, cum non possit dici: *οὐχ οἷόν τε μὴ τὸν πολὺ τῇ γνώμῃ διαφέροντα*, unde elucet particulas *μὴ οὐ* magis ad verbum mente addendum referendas esse. Euclid. pag. 23: *πληγὴν δὲ ἀμήχανον γίγνεσθαι μὴ οὐχὶ κινήσεως προτέρου γινομένης.* Sophocl. Oed. Tyran. 13: *δυσάλγητος γὰρ ἂν εἴην τοιάνδε μὴ οὐ κατοικτείρων ἕδραν*, quod nos vertimus: denn wahrlich, ohne Erbarmen wär' ich ja, es sei denn, dass ich Mitleid hätte e. q. s. Aristot. Histor. animal. IX, 44: *τοῦτο γὰρ οὐκ ἂν συμπέσοι μὴ οὐ πολυχρονίῳ ὄντι.* Soph. Oed. Tyr. 220—221:

> *οὐ γὰρ ἂν μακρὰν*
> *ἴχνευον αὐτὸς μὴ οὐκ ἔχων τι σύμβολον*:

es sei denn, dass ich eine Spur hätte. Lucian Toxar. 16: *διηγεῖτο (Δεινίας) ὅτι οὐ βιώσεται μὴ οὐ συνὼν τῇ Χαρικλείᾳ.*

Paullo ab iis, quos tractavimus, locis diversi sunt duo, quorum alter in Demosthenis oratione de falsa legatione § 123 alter in Sophoclis Oedipi Colonei versu 360 sq. exstat. Demosthenis verba haec sunt: *αἵ τε πόλεις πολλαὶ καὶ χαλεπαὶ λαβεῖν αἱ τῶν Φωκέων μὴ οὐ χρόνῳ καὶ πολιορκίᾳ.* Quae sententia ita est comparata, ut substantivis *χρόνῳ καὶ πολιορκίᾳ* condi-

cionalis, ut ita dicam, vis insit, quasi scripserit Demosthenes: μὴ οὐ πολὺν χρόνον πολιορκούμενα i. e. es sei denn, sie werden lange belagert. Sed jam quaeritur, quid, cum antecedant verba χαλεπαὶ λαβεῖν, mente post illud χρόνῳ καὶ πολιορκίᾳ addendum sit. Atque nonnulli viri docti cum recte quidem intellexissent, post participium verbum ei, quod praecedit, contrarium mente addendum esse, hoc loco putaverunt oppositionem esse exprimendam verbis χαλεπαὶ λαβεῖν et εὐλήπτοι (vel ῥᾴδιαι λαβεῖν). Sed hoc omnino falsum videtur esse, cum Demosthenes non illud dicere velit, urbes Phocensium si per longum tempus obsideantur, *facile* posse capi, sed id tantum contendat urbes difficillimas esse ad oppugnandum *neque* capi posse *nisi* diuturna obsidione. Igitur non opponuntur verba χαλεπαὶ λαβεῖν et εὐλήπτοι sed potius haec est oppositio: ἄληπτοι — ληπταί. Quae si reputamus, levem quandam anacoluthiam in illis Demosthenis verbis inesse facile perspiciemus; neque, si hunc locum sic intelligimus, alterum, qui apud Sophoclem exstat, difficilem amplius putabimus. Verba autem sunt haec:

ἥκεις γὰρ οὐ κενή γε, τοῦτ᾽ ἐγὼ σαφῶς
ἔξοιδα, μὴ οὐχὶ δεῖμ᾽ ἐμοὶ φέρουσά τι.

Quae verba maximas difficultates interpretibus atque grammaticis attulerunt, quoniam hic particularum μὴ οὐ usus non ad eum, qui omnibus ceteris locis exstat, quadrare videtur. Nam profecto si eam explicandi rationem, quae primo obtutu se offert, amplecteremur, sententia prorsus absurda atque inepta exsisteret: »non enim vacua venis (id ego plane expertum habeo) nisi terrorem aliquem mihi afferens« (nicht leer, es sei denn du brächtest mir etwas Schreckliches, scil. dann kommst du leer!). Nihilominus fuerunt qui hanc explicationem statuerent, inter quos unum Elmslejum profero, qui vertendum censet: »non venisti vacua certe, si non adeo terrorem mihi nunties aliquem«, quod idem esset atque hoc: »Du bringst etwas mit, wenn du mir nicht ein Schreckniss bringst«. Rectissime tamen Hermannus contendere videtur, hanc constructionem, cum non *omnino* ceteris illis

exemplis respondeat, nihilominus eodem modo explicandam esse; quadecausa commutationem quandam duarum enuntiandi rationum statuit atque Sophoclem illa verba negligenter posuisse putat pro his: οὐ γὰρ ἂν ἦλθες μὴ οὐ δεῖμ᾽ ἐμοὶ φέρουσά τι. Quam rationem explicandi, etiamsi in hac tota quaestione fere semper ab Hermanni opinione discedere coactus sim, hic solam ferri posse persuasum habeo neque ea probare possum, quae Wentzelius assentiente Kühnero de hac re statuit. Hic enim vir doctus cum et Elmsleji aliorumque sententiam omnino reprobandam censeat neque ad eam rationem, quam Hermannus secutus est, confugere possit, hoc loco particulas μὴ οὐ notione quadam omnino singulari usurpatas esse statuit, ita ut ad particularum μὴ οὐ usum cum infinitivo, qui post verba illa negandi, prohibendi et alia, de quibus supra diximus, occurrit, eas hic referendas esse existimet. Itaque vertit: »Du kommst nicht leer, das weiss ich gewiss, als eine die mir irgend eine schreckliche Nachricht bringt« et ipse dicit participium attributi, quod vocant, locum tenere. Sed ut id praetermittam, quod μὴ οὐ cum participio junctum hac notione alias non reperitur, ipsa participii natura, quae Wentzelii sententia attributiva est, hanc opinionem refellit: infinitivi enim cum μὴ οὐ conjuncti ratio ea est, ut graviter prematur atque a verbo praecedente sejungatur, participium autem, quod attributi munere fungitur, arctissime cum enuntiato primario cohaeret et connexum est. Quamobrem non recte illae infinitivi constructiones comparantur ad hanc sententiam defendendam et omnino errare videtur vir doctus cum locum illum ex Sophoclis Oedipo Rege (v. 55—57) afferens, qui est: ἔρημος ἀνδρῶν μὴ ξυνοικούντων ἔσω, contendit, participio particulas μὴ οὐ adjungi posse, si voci ἔρημος adderetur οὐκ; bene enim illud ἔρημος ἀνδρῶν μὴ ξυνοικούντων se habet, cum adjectivum ἔρημος absolute positum eique verba ἀνδρῶν μὴ ξυνοικούντων ἔσω explicativa quadam notione addita sint (sicut nos dicimus: »denn nichts ist Thurm und Schiff, sofern sie leer sind, Männer nicht in ihnen wohnen«); sine dubio igitur μὴ οὐ minime sic

poni potest. Quae cum ita se habeant, equidem causam non video, cur ab Hermanni explicatione recedamus summaque vi id premendum puto, hunc locum ab iis, quos modo commemoravimus, nullo pacto differre, modo libertatem aliquanto majorem poetae concedamus: nam enuntiatum ita comparatum est, ut Sophocles id maxime premere velit, Ismenam certissime malum nuntium patri afferre; itaque haud mirum videtur, quod poeta, cum scripserit ἥκεις γὰρ οὐ κενή γε participio sequenti μὴ οὐ affixit, quasi antea dixerit ἥκεις γὰρ οὐ. Quae levissima sane anacoluthia eo imprimis excusatur, quod participium compluribus verbis ab enuntiato praecedente sejunctum est (τοῦτ' ἐγὼ σαφῶς ἔξοιδα) quare non dubito, quin haec sola explicatio ferri possit et verto illa verba: denn nicht kommst du leer — das weiss ich gewiss — (nicht kommst du), es sei denn, dass du mir ein Schreckniss bringst (scil. nur so kommst du). Ille Demosthenis locus, de quo supra disputavimus, hanc nostram explicationem bene confirmat, cum hic quoque participio μὴ οὐ ita additum sit, ut non referatur ad verba χαλεπαὶ λαβεῖν (non enim post participium mente addendum est ῥᾴδιαι λαβεῖν, sed ληπταί), verum ad solam expugnandi notionem, quae inverbo λαβεῖν inest.

Si ea, quae de hoc usu particularum μὴ οὐ et cum infinitivo et cum participio conjunctarum disseruimus, probe respicimus, nonnunquam major exsistet criticae artis fides in corruptis locis restituendis. Ut unum tantum exemplum afferam, Sophoclis Antigonae versum 33 omnes codices sic praebent:

> καὶ δεῦρο νεῖσθαι ταῦτα τοῖς μὴ εἰδόσι,

quod propter metricas rationes sine dubio corruptum putandum est. Brunckius igitur scribi vult τοῖς μὴ οὐκ εἰδόσι, Heathius, cui Hermannus assentitur, τοῖσι μὴ εἰδόσι, Schaeferus (in Meletem. crit. ad Dionys. Halic. artem rhetoricam, pag. 108) scribendum censet τοῖς οὐκ εἰδόσι. Sed μὴ οὐκ hic minime locum habere ex iis, quae diximus, clare elucet, quadecausa mea sententia Heathii conjectura optima et in textum recipienda videtur,

quoniam Schaeferi mutatio codicum auctoritate respecta ferri non potest, quippe quae fortior sit.

Vera ac genuina particularum μὴ οὐ notione male intellecta nonnulli homines docti ad conjecturas prorsus ineptas aberraverunt, sicut Marklandius, qui in versibus 250—252 in Soph. Oedipo Tyranno, cum codicum lectionem corruptam putaret, verba quae insunt in iis:

> ἐπεύχομαι δ' οἴκοισιν εἰ ξυνέστιος
> ἐν τοῖς ἐμοῖς γένοιτ' ἐμοῦ ξυνειδότος
> παθεῖν ἅπερ τοῖσδ' ἀρτίως ἠρασάμην,

ita mutavit ut scriberet pro verbis γένοιτ' ἐμοῦ ξυνειδότος haec: γένοιτο μὴ οὐ ξυνειδότος, ubi μὴ οὐ nullo pacto defendi potest. Nonnunquam sine ulla causa lectionem codicum viri docti tentaverunt, cum ubi μὴ in iis exstat, μὴ οὐ scribendum censerent, exempli causa in Sophoclis Trachiniarum versu 88;

> οὐδὲν ἐλλείψω τὸ μὴ
> πᾶσαν πυθέσθαι τῶνδ' ἀλήθειαν πέρι.

Brunckius hoc loco μὴ in μὴ οὐ mutavit, atque Hermannus ei assensus est (in disputatione de Ellipsi et Pleonasmo, pag. 234); cum autem μὴ post illa verba, de quibus supra disputavimus, eodem jure ac μὴ οὐ poni possit, hujus mutationis nullam causam video. Quamquam auctoritas codicum in his quaestionibus valde levis est nec dubitari potest quin μὴ in eis nonnunquam pro μὴ οὐ positum sit, cum οὐ facillime omitti potuerit, praesertim eam ob causam, quod μὴ οὐ saepissime compendiis literarum sic scribebatur: μὴ ὐ, vel μ' ου.

Jam autem finem huic disputationi imponamus: illud summo cum studio sectandum censeo atque semper, cum haec scriberem, mihi proposui, ut diligentissime singulorum enuntiatorum natura et indole examinata ac verborum pondere accuratissime perpensato difficillima haec quaestio disceptetur et ad liquidum perducatur, ne judicium praejudicatis opinionibus occaecatum omnia ad eas referre studeat, etiamsi ipsis verbis vis imponatur. Quod cum summum in hac quaestione mihi proposuerim, ad ea

quae exposui, perveni, ita ut, ubicumque illustrissimorum virorum sententiis repugnare ausus sum, non obloquendi adversandique libidine abreptum, sed veri indagandi studio commotum me id fecisse cognoscatur. Omnino igitur in hac tota quaestione verba illa Ciceronis valeant, quae in libri primi de finibus capite quinto, paragrapho tertia decima exstant:

»Verum enim invenire volumus,
non adversarium aliquem convincere«.

Theses.

I. Aesch. Sept. v. 279 (ed. Dind.) ita scribendum est:
τὺ δ' αὖτ' ἐπεύχου μὴ φιλοστόνως θεοῖς.

II. Aesch. Agam. vv. 1219 sq. ita sunt restituendi:
παῖδες θανόντες ὡσπερεὶ πρὸς τῶν φίλων
χρείας κρεῶν πλήσοντες οἰκείας βορᾶς.

III. Thucyd. VIII, cap. 29 ita scribendum:
Ὅμως δὲ παρὰ πέντε καὶ πεντήκοντα ναῦς πλέον ἀνδρὶ ἑκάστῳ ἢ τρεῖς ὀβολοὶ ὡμολογήθησαν· ἐς γὰρ πέντε ναῦς τρία τάλαντα ἐδίδου τοῦ μηνὸς e. q. s.

IV. Sall. Jug. cap. 50, § 5 ita mutanda sunt verba, quae codicibus traduntur:
etenim docti ab Jugurtha equites.

V. Appianum ea, quae de bello Hannibalico memoriae prodidit, omnia ex Jubae historia sumpsisse statuo.

VI. Orthographia linguae germanicae non ad phoneticas leges sed ad historicas origines, quantum fieri potest, revocetur, ne omnino studia grammatica fundamento adminiculoque careant.

VII. In gymnasiis studia, quae ad antiquitatem Graecorum spectant, acrius tractanda censeo, ita ut studiis latinis aliquid temporis detrahatur atque graecis addatur.